SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.



XII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1870.

DE GLORIOSA DEI GENITRICE

MARIA

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

———⁓⁓———

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Lectori.

1. Decet theologum postquam diu multumque in contemplando Deo divinisque mysteriis versatus est, subinde ad considerationem transire b. Virginis, tum quia creaturas reliquas omnes dignitate antecellit, „nam quid nobilius Dei matre, inquit Ambrosius[1], quid splendidius ea, quam splendor elegit?“ tum quia teste Bernardo[2] „non est dubium, quidquid in laudibus matris profertur, ad Filium pertinere;“ tum gratitudinis ergo „per Mariam enim coelum re-

[1]) De virgin. l. 2. n. 2. n. 7. Ceterum de hac dignitate cf. infra annot. ad. or. 2. Procli n. 2. et ad l. de concept. Virg. n. 14.

[2]) Infra hom. 4. super *Missus est* n. 1.

pletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data«[1]).

2. Jam vero „quidquid est in b. Maria laude et praedicatione dignum, ut scite advertit Petavius[2]), quodcunque gratiae ac gloriae inest decus et ornamentum, totum id illa maternitati suae refert acceptum. Ab hac enim ceu fonte et origine cuncta fluxerunt, quae in ea mirifica et stupenda congessit divina largitas, quae nusquam alias se copiosius atque uberius effudit.« Merito proinde ab hac praerogativa, reliquarum matrice, contemplanda auspicabimur: eoque magis quod tanta sit hujus dogmatis, quo b. Virginem *θεοτόκον* profitemur, momentum, ut vere affirmari possit, ita fuisse sec. 5. a tempore Nestorii *τῆς θεοτόκου* professionem orthodoxae fidei tesseram, quemadmodum sec. 4. contra arianos *τοῦ ὁμοουσίου* confessio. „Merito et vere, inquit Damascenus[3]), s. Mariam *θεοτόκον* appellamus. Hoc enim nomen totum in-

---

[1]) Ita Bernardus c. 4. in assumpt. B. V. n. 8. De parte quam Maria habuit in nostra reparatione cf. annot. ad Bernardi hom. 2. super *Missus est.* n. 3. et s. de nativ. infra n. 6.

[2]) De incarn. l. 14. c. 8. n. 2.

[3]) De fid. orthod. l. 3. c. 12.

carnationis mysterium astruit. Nam si Dei mater est quae genuit, profecto Deus est, qui ex ipsa genitus est: profecto etiam homo. Nam qui fieri potuisset, ut Deus, qui ante secula exstabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset. Qui enim filius est hominis, homo etiam ipse sit necessum est. Quod si ille ipse, qui ex muliere natus est, Deus est, unus procul dubio atque idem est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam et initii expertem substantiam attinet, quique extremis temporibus ea substantia, quae initium habuit temporique subjecta est, hoc est, humana, ex Virgine natus est. Hoc vero unam D. N. Jesu personam duasque naturas et duas generationes significat.«

3. Hujus praerogativae praestantiam nobis enarrabunt s. Proclus et s. Cyrillus, qui illam admodum strenue adversus Nestorium propugnarunt. S. Proclus „vir pius et ad certamen adversus eos, qui quae recta sunt, pervertunt, exercitatus et ex veritatis assertione victoriam reportare assuetus«[1]), in adolescentia s. Joanni Chrysostomo in primis carus, ad sedem cyzicenae ecclesiae electus fuit a Sisinnio Nestorii praecessore a. 426; sed rejectus a cyzicenis

---

[1]) Cyrillus ep. ad Joan. antioch. et synod.

clericis, ipsius licet virtutem suspicientibus (siquidem volebant retinere auctoritatem eligendi sui episcopi, quam urbis regiae antistes contra canones et consuetudinem assumere tentabat), Constantinopoli remansit episcopi quidem titulo sed presbyteri, ut erat antea, officio, ibique concionibus ad populum habitis magna quidem eloquentiae sed majore pietatis fama claruit. Fecit illa ut quoties vacavit sedes, vocatus sit in contentionem de episcopatu cum praestantissimis aliis hujusce ecclesiae presbyteris: nam post Attici mortem cum Sisinnio et Philippo; post obitum Sisinnii iterum cum Philippo pertinaciter dissidentibus clericis; post depositionem Nestorii rursus cum Philippo et Maximiano virtus ipsius contendit, sed toties repulsam tulit, nec invita propter insignem viri modestiam et morum sanctitatem. Repulsae causa fertur partim Chrysostomi inimicorum molitio ex aula, partim nimium populi studium indeque suborta imperatori sive suspicio sive invidentia, partim competitorum gratia apud clericos urbis clericorumque metus, ne Proclus Chrysostomi exemplo disciplinam religiosius teneret. Post tot repulsas tandem Maximiani fato functi sedem obtinuit (a. 434). „Erat autem scribit Socrates haec referens [1]), hic vir si quis-

[1]) Hist. eccl. l. 7. n. 41; cf. cc. 26, 28, 35, 36, 40.

quam alius ingenio ac moribus bonus, etiam ab Attico institutus, quaecunque in illo boná fuerant, imitatus est; clementia vero usus est majore, quam in Attico fuerat. Ille namque haereticis terribilem se pro tempore ostenderat, hic vero omnibus placidus fuit, et hoc se pacto eos magis quam violentia attracturum excogitavit: etenim nullam haeresim divexare volens, mansuetudine dignitatem Ecclesiae salvam restituit.« Obiit Proclus sanctitatis fama ubique conspicuus a. 446.

4. Habuit autem Proclus orationum, quas edimus, primam omnium laudibus celebratam Constantinopoli degens. Cum enim moleste ferret zizania spargi pro bona semente in agrum Christi, quem excolendum susceperat, dum fieret amplissima quaedam synaxis, urgente pectus vere apostolicum Christi caritate, habuit in maximo omnium ordinum coetu pro Deipara virgine contra Nestorium orationem hanc panegyricam, in qua licet adversarii nomen tacuerit, praesidentem episcopum reveritus, haeresim tamen omnibus notam summo auditorum plausu refellit. Cui Nestorius statim sermone extemporali respondit ac postea singulas partes orationis Procli singulis sermonibus vehementer aggressus est.

5. Necessarium autem non est pluribus de s. Cyrillo alexandrino praefari, quem veteres

„fidei catholicae gloriosissimum defensorem et constantissimum praedicatorem virumque apostolicum“ salutarunt [1]). Nemo enim ignorat eum divinitus fuisse excitum, qui Nestorii fraudes detegeret erroresque refelleret, sicut seculo priori ejus gloriosus praecessor Athanasius adversus Arium. Hinc quaedam ejus scripta ab universa Ecclesia solemniter approbata tamquam regula rectae fidei agnoscuntur; reliqua vero veluti hujus regulae fidei expositio, dilucidatio, confirmatio haberi possunt, et quatenus cum ista fidei regula conveniunt, sensum Ecclesiae testatum reddunt [2]). Encomium vero hoc in s. Mariam Deiparam, quod post s. Procli orationes reperies, pronunciatum fuit a Cyrillo Ephesi coram patribus concilii oecumenici III. (a. 431), cui ipse s. Coelestini I. nomine praesedit.

6. Deiparae dignitati, quam Proclus et Cyrillus celebrarunt, proportione respondet omnium virtutum et charismatum ornatus, ut digna esset tanti filii mater. Quis vero magis idoneus ad hunc describendum, quam doctor mellifluus et hujus virginis cultor devotissimus, S. Bernardus? Cum vero plurimi sint hujus doctoris in

---

[1]) S. Prosper aquit. c. Collat. c. 21. n. 2; s. Agatho ep. 1.; s. Coelest. ep. 25. n. 7.

[2]) Cf. Fessler, Instit. patrol. v. 2. § 340.

laudem b. Virginis sermones, sex prae ceteris selegimus, qui reliquos omnes antecellunt.

7. Verum tantae Virginis cultori devoto satis non erit ejus praerogativas generatim atque universe contemplari; singulas laudari, singulas extolli praeconiis optabit. Hinc ex tot monilibus [1]), quibus Deipara ornatur et refulget, duo speciatim considerabimus. Ejus scil. *immaculatam conceptionem* et *virginitatem perpetuam*. Hanc tuebitur acerrimus haereticorum malleus Hieronymus, cujus enconium in praefatione tomuli XI. audivimus, alterum vero privilegium primus illius assertor et vindex, scriptor vetustus quidem, sed anonymus. *Primum* eum dicimus tam singularis privilegii *assertorem* et *vindicem*, non quod ipse primus illud docuerit vel praedicaverit, cum plurima vetustiorum auctorum pro hac praerogativa suffragia reperies vel in annotationibus, quibus haec opuscula illustravimus, sed quod ipse omnium primus huic privilegio vindicando integrum consecraverit opusculum.

---

[1]) Praecipua monilia, quae maternitatis praerogativam consequuntur et coronae instar ornant, sunt praeter recensita, *immunitas a quocunque peccato actuali, immunitas a fomite, immunitas a corruptione*, quam consecuta est *gloriosa in coelos secundum corpus assumptio.*

8. Si hujus tractatus *de conceptione b. Mariae virginis* quaeris auctorem, fatendum est, eum plane esse ignotum; id tantum certum videtur, s. Anselmo illum tribui non posse, licet nonnullis in codicibus ejus praeferat nomen et passim etiam sub ejus prodierit nomine. Triplex in primis argumentum affert Gerberonius, operum s. Anselmi criticus editor, 1. quod scil. desit hic liber in quamplurimis hujus doctoris manuscriptis, nec tanta sit aliorum codicum auctoritas, quandoquidem pauciores sunt et alios quam s. Anselmi tractatus continent; quod 2. s. Anselmus aliam tenuerit de Virginis conceptione sententiam l. 2. Cur Deus homo c. 16 s.; quod denique 3. ipse tractatus se non nisi post Anselmi († 1109.) tempora editum protestetur. Etenim ab ipso sermonis exordio declaratur a) quod multis in locis jam tum festiva erat solemnitas conceptionis b. Mariae: b) quod priscis temporibus frequentiori usu celebraretur, dum pura simplicitas vigebat: c) quod perspicacia et examinatio modernorum quorundam, qui seculari et ecclesiastica auctoritate divitiarumque abundantia praeeminebant, hanc solemnitatem quasi ratione vacantem de medio sustulerit et redegerit in nihilum: quod d) caritas simplicium de tantae festivitatis abolitione tum gemeret. Haec autem Bernardi videntur indicare

aetatem, qua haec controversia de celebrando conceptionis festo movebatur, nec deessent qui cum Bernardo contenderent, nullam esse rationem illud specialiter recolendi.

9. Proinde libellus hic Anselmi non est; cujus vero sit, ne conjicere quidem audent viri eruditi, adeo incerta sunt omnia. Nihil propterea sive auctoritatis sive utilitatis illi decedit. Certe pii admodum est scriptoris et probe orthodoxi, qui haud inepte quamvis nonnisi convenientiae rationibus innixus tam insigne privilegium ss. Deiparae vindicat, nihilque profert quod non consonet doctrinae probatorum scriptorum sive ejusdem aetatis (sec. 12.) sive praecedentium seculorum, ut ex subjectis annotationibus patebit. Dolendum tamen deesse Mss., quo correctius et emendatius libellus hic edi possit. Adsunt enim lacunae nonnullae, alias contextus sat est perplexus et medicae manus indigus videtur. In lectorum commodum illum in plura capita distribuimus.

10. Reliquum est, ut de Hieronymi libro adversus Helvidium nonnihil disseramus. Helvidius, e populo, ut videtur, vulgaris homo, rusticanus et vix primis imbutus literis, librum composuerat, quo perpetuam Mariae virginitatem negabat, asserens eam postquam Christum peperisset, ex Josepho marito filios aliquot genuisse, qui *fratres Domini* in Evangelio appellantur.

Quam insaniam, ut fuco rationis aliquo obliniret, novo errore cumulavit, matrimonio minime praestare virginitatem contendens. Ejus libello Hieronymus a fratribus rogatus respondit, excerptas haeretici propositiones ex ordine impugnat, Scripturae locis atque illo inprimis Matth. 1, 18., quo maxime adversarius abutebatur, expositis rite in eum sensum, ut deiparam Mariam continuo virginem perstitisse manifestissime evincat. Edidit autem hunc libellum (qui in nonnullis Mss. epistolae inscriptionem prae se fert) anno 383.

11. Habes, benevole lector, paucis tomuli hujus dispositionem expositam ordinisque rationem redditam. Iis vero perlectis, quae tam magnifice patres in tantae Virginis eloquuntur laudem uti nobis quoque licebit devotissima conclusione, qua Bernardus s. 2. in adventu Dom. n. 5. absolvit. „Jam advertistis, ni fallor, inquit, quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit procedens ex ipsius utero tamquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te nos sus-

cipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitati. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti (al. percepisti), ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente particeps faciat nos gloriae et beatitudinis suae Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus Deus in secula. Amen.«

SANCTI PATRIS NOSTRI
PROCLI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
ORATIO I.

Laudatio in sanctissimam Dei genitricem Mariam.

1. Virginalis solemnitas linguam nostram hodie, fratres, ad laudis praeconium provocat; praesensque festivitas collecto nunc coetui utilitatem conciliat; atque id jure quidem optimo. Continet enim celebritas haec castimoniae argumentum, totiusque feminei sexus gloriationem habet ac mulierum gloriam, ejus ergo quae in tempore mater ac virgo est. Amabilis plane ac mirabilis haec coitio. En enim terra et mare pariter obsequium fovent: hoc quidem obsequio, placidum navigantibus dorsum substernens, illa vero viatorum vestigia expedite deferens. Saliat natura humanumque exsultet genus, quippe cum mulieres quoque honorentur. Choros

ducat hominum natura, quod et virgines honori habeantur: *Ubi enim abundavit delictum, superabundavit et gratia* (Rom. 5. 20.). Hic nos quippe modo sancta Dei Genitrix ac Virgo Maria in unum coegit: impollutus ille virginitatis thesaurus, spiritalis secundi Adami paradisus, unionis naturarum officina, salutaris commercii nundinae, thalamus, in quo sibi Verbum carnem desponsavit; animatus naturae rubus (Exod. 3, 2.), quem divini partus ignis non combussit; vere levis illa nubes (Isa. 19, 1.), quae sedentem super cherubim corporatum portavit; mundissimum vellus (Judic. 6, 37) imbris coelestis, ex quo Pastor ovem induit. Maria, inquam, ancilla et mater, virgo, ac coelum, Dei ad homines unicus pons, horrendum incarnationis textorium jugum[1]), in quo ineffabili quadam ratione unionis illius tunica confecta est: cujus quidem textor exstitit Spiritus sanctus; nectrix, virtus obumbrans ex alto. Lana, antiquum Adami vellus; trama[2]), impolluta caro ex virgine; textorius

---

[1]) *Textorium jugum* i. e. textorium ipsum instrumentum, in quo mirabilis illa tela ac consertio naturarum facta est divina virtute ac arte.

[2]) *Trama* i. e. textura.

radius, immensa gestantis gratia; artifex tandem, Verbum per auditum illabens. Quis vidit, quis audivit, inhabitasse Deum in utero incircumscripte; ac eum quem coeli capere non poterant, nullis arctatum angustiis, ventrem Virginis comprehendisse?

2. Natus porro ex muliere est Deus non nudus, at nec homo purus; natusque eam quae olim peccati porta fuerat, salutis januam effecit. Nam ubi serpens per inobedientiam ingressus virus effuderat (Gen. 3, 6.), ibi Verbum per obedientiam ingressum, vivum sibi exaedificavit templum. Unde peccati ille principatum tenens Cain emerserat (Gen. 4, 1.), inde Redemptor generis Christus sine semine prodiit. Non erubuit clemens Deus nasci ex muliere. Nam vita erat quod ita moliebatur: nullam contraxit labem vulvae hospitio, quam nullo ipse condiderat suo dedecore[1]). Nisi enim mater virgo perseveravit, utique purus homo est qui est natus, nec est partus mirabilis. At si etiam post partum virgo permansit, quomodo non etiam erit Deus, ac mysterium quale nemo effari potest? Nulla is corruptione natus est,

---

[1]) Cf. annot. ad Augustini l. de fide et symb. c. 4 (opusc. t. 6. p. 133 s.) et infra n. 3.

qui nullo prohibente clausis januis ingressus est; cujus Thomas conjunctas naturas videns, exclamavit dixitque: *Dominus meus et Deus meus* (Joan. 20, 28.).

3. O homo, ne partum hunc erubescendum putes: quippe qui salutis nobis causa effectus sit. Nam si ex muliere natus non esset, non utique mortem oppetivisset: quod si carne mortem non oppetiisset, neque illum quoque per mortem destruxisset, *qui habebat mortis imperium, id est diabolum* (Hebr. II, 14.). Haudquaquam architecto dedecori est, ut eam incolat domum quam ipse exstruxerit; neque lutum figulum inficit, cum ille vasculum quod finxerat, refingit: ita ne quidquam Deum purissimum polluit, quod ex viriginali utero prodierit. Quam enim citra omnem sui labem formaverat, ex ea nulla contracta macula processit. O uterum, in quo communis hominum libertatis libellus compositus est! O ventrem, in quo adversus diabolum fabrefacta sunt arma! O arvum, in quo naturae ipse colonus sine semine spicam edidit! O templum, in quo Deus sacerdos effectus est; non naturam demutans, sed eum per misericordiam induens, qui est secundum ordinem Melchisedech (Psal. 109, 4.)! *Verbum caro factum*

est (Joan. 1, 14.), quamquam judaei dicenti Domino non credant. Vere Deus formam hominis induit, tametsi gentiles miraculum subsannent. Ob id enim clamabat Paulus: *Judaeis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam* (I. Cor. 1, 23). Nam neque mysterii vim cognoverunt, eo quod miraculum captum superet ac rationem: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* (I. Cor. 2, 8.). Nisi enim Verbum uterum inhabitasset, neque caro consedisset in throno sancto. Si Deo ignominiae esset in uterum illabi, quem ipse formarat, esset quoque probro hominibus ministrare. Quod si Deo esset probro ministrare hominibus, haudquaquam cum dives esset, pro nobis egenus factus esset (II. Cor. 8, 9.).

4. Qui per naturam impassibilis erat, is propter suam misericordiam multis se passionibus obnoxium fecit. Haudquaquam Christus ex profectu in Deum evasit[1]). Absit.

---

[1]) Haec et sequentia directe Nestorii, contra quem Proclus disserit, respiciunt haeresim, quam ita exponit s. Thomas 3. p. q. 2. a. 6: „Alia fuit haeresis Nestorii et Theodori mopsuesteni separantium personas (seu unionem dissolventium hypostaticam); posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei

Sed Deus cum esset, ut docet fides, misericordia motus, factus est homo. Non praedicamus hominem deificatum, sed Deum incarnatum confitemur. Ancillam suam in matrem ascivit is, qui per naturam matrem nescit, quique nihilominus secundum oeco-

---

et filii hominis, quas sibi dicebant esse invicem unitas: *Primo* quidem secundum inhabitationem, inquantum scil. Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo. *Secundo* per unitatem affectus, in quantum scil. voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. *Tertio* secundum operationem, prout scil. dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. *Quarto* secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei. *Quinto* secundum aequivocationem i. e. communicationem nominum, prout scil. dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei.« Admisit proinde Nestorius unionem tantum moralem inter Verbum et naturam humanam assumptam. Hinc consectarii instar sequebatur, Mariam non esse θεοτόκον sed tantum χριστοτόκον, nec vere dici posse Deum esse natum, passum, mortuum. Cum vero Proclus negat Christum ex profectu in Deum evasisse, alium respicit Nestorii errorem capitalem, secundum quem unio inter Verbum et naturam assumptam facta non est in ipso Virginis utero ab ipso conceptionis momento, sed nonnisi postquam filius Mariae virtutis profectu se ad illam disposuit eaque dignum se reddidit. Non desunt tamen viri eruditi, qui negant hoc docuisse Nestorium. Cf. Garnier diss. 1. de Nest. haerosi c. 1. § 3.

nomiam in terra sine patre exsistit. Alioqui quomodo idem ipse doctore Paulo, *sine patre et sine matre* (Hebr. 7, 3)? Si est purus homo, non est sine matre, matrem enim habet: si est nudus Deus, non est sine patre: habet enim patrem. At nunc unus idemque sine matre quidem est, ut plastes; sine patre vero, ut plasma.

5. Reverere saltem, o homo, archangeli appellationem. Is namque qui laetum illum nuncium Mariae detulit, Gabriel vocabatur. Quid vero Gabriel interpreteris? Arrige aures et disce: *Deus et homo*[1]). Quia itaque ille quem annunciabat, Deus erat ac homo; quo facilius dispensationem persuadeat, rei miraculum nominis notatione anticipat. Disce primum oeconomiam ac causam adventus, tumque ejus qui est incarnatus, potentiam laudibus evehe, quoniam humanum genus gravi ex peccatis debito obstrictum erat, nullaque debitum ratione dependere poterat. Per Adamum enim omnes peccati subscripseramus chirographo: servos nos diabolus tenebat; multis obnoxio passionibus nostro

---

[1]) Alii aliud etymum illius vocis afferre solent, ac praecipue ut Gabriel *Fortitudo Dei* dicatur vel etiam *fortis Deus*.

corpore ceu charta usus, emptionis titulos circumferebat: stans malus ille falsarius vitiorum commentariensis, debitum ob oculos ponebat, nosque ad supplicium deposcebat. Duorum itaque alterum necesse erat, aut mortem damnatione decretam universis inferri, quando etiam omnes peccaverant: aut pretium ejusmodi in poenae repensionem pendi, quod universo debito juste ad amussim responderet. Atqui homo quidem, quod peccati debito subjaceret, salvare utique non poterat. Angelus vero humanum ipsum genus non valebat redimere: non enim ingens adeo redemptionis pretium suppetebat; reliquum ergo erat, ut in quem peccatum non cadit, Deus pro peccatoribus moreretur. Haec enim mali unica restabat solutio[1]).

---

[1]) Ut clare intelligantur, quae de incarnationis passionisque Filii Dei necessitate tenenda sunt, haec ex ordine statuimus: 1. *Incarnatio Filii Dei absolute non fuit necessaria.* Hoc tenendum est contra Wicleffum (Trialogi l. 3. c. 245.) aliosque. Sane 1. incarnatio praesupponit creationem, hinc iisdem argumentis quibus Dei in creando libertas vindicatur, incarnationem non fuisse absolute necessariam ostendi poterit. 2. Incarnatio fructus est charitatis, gratiae et misericordiae erga humanum genus lapsum, si divinis credimus literis: sed charitatis, gratiae et misericordiae decreta non necessitate reguntur, sed

6. Quid ergo? Ille ipse qui naturam universam ex nihilo, ut esset, effecerat, cui-

---

libertate honestantur. Praeterea 3. fides docet Filium Dei propter nos nostramque salutem factum esse hominem, et ita quidem si sensum interrogemus catholicum, ut hominum necessitas Deum ad id impulerit. Quod si esset absolute necessaria incarnatio, jam non propter nos Deus fieret homo: sicut nec propter nos nostramque salutem Pater ab aeterno genuit Filium. II. Multiplici distincta hypothesi tenendum est, *incarnationem in hypothesi creationis non fuisse necessariam.* Hoc defendimus contra Raimundum Lullum (cf. Vasquez in 3. p. Disp. 1. c. 2), Malebranche, secundum quem Deus liber quidem fuit in decernenda creatione, hac tamen semel decreta debuit ex illo amore, quo suam infinitam prosequitur perfectionem, illum eligere mundum, quo sua gloria perfectissime manifestetur. Ejusmodi vero mundus est ille, cujus fastigium est incarnatio. Quoad hanc conclussionem nec Leibnitius dissentit. Verum 1. horum opinio innititur systemati, quod *Optimismi* dicitur, quod et philosophice et theologice est falsum. Praeterea 2. quomodocunque demum incarnatio spectetur, licet stupenda plane sit divinae gloriae manifestatio, semper tamen est quaedam etiam Dei demissio et exinanitio et exaltatio creaturae in Deum. Atqui sat humiliter cogitant de Deo qui defendunt, eum debere, quo creatura sua sit perfecta opusque se dignum, exinaniri et hypostatica unione naturam complecti humanam, nec alio modo se posse condigne suam manifestare gloriam. Quare 3. viri illi eruditi, a quibus dissentimus, dum nimis sunt solliciti de opere manuum Dei, ipsius obliviscuntur divinae maje-

que nulla ad erogandum deerat facultas, morti ac condemnationi addictis, tutissimam

---

statis, nec ejus ut par est rationem habent. Tantum enim abest, ut hanc extollant, ut eam deprimant potius, cum secundum ipsos Deus ne creare quidem possit, quin se demittat, exinaniat atque cum creatura sua in unam coalescat personam. Quantum vero resplendet Dei misericordia, independentia, a creaturis distantia, hinc majestas et simul amor, si in hypothesi creationis nulla actus necessitate, sed sola charitate motus naturam assumat humanam? III. *Neque necessaria est incarnatio in hypothesi lapsus humani generis.* Id suaderi potest 1. analogia quadam; si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, nec parcere debuit humano generi lapso, proinde nec illud per incarnationem reparare. 2. Exaltatio in illum statum, e quo lapsus est homo, plane indebita fuit (cf. prop. 21, 23, 24, 26. Baji damn.); ergo et restitutio in illum statum erit indebita. Hinc 3. passim in divinis literis humani generis reparatio et reconciliatio per incarnationem charitati, misericordiae, gratiae divinae adscribuntur. Cf. Joan. 3, 16; Rom. 3, 24; 5, 8 ss.; Ephes. 2, 4 ss.; Tit. 2, 11; 3, 4 s.; 1. Joan. 4, 9. etc. Quare Augustinus (de nat. et gratia n. 5): „Universa massa poenas debet et si omnibus damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur . . . Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis?" IV. *Neque absolute necessaria fuit incarnatio in hypothesi quod*

vitam adinvenit mortisque solutionem decentissimam. Fit nimirum homo ex virgine,

---

Deus voluerit humanum genus lapsum reparare. Contrarium placuisse videtur Anselmo (Cur Deus homo l. 1. c. 12), nisi benigne ejus verba exponantur (Cf. Kleutgen Theologie der Vorzeit P. 2. n. 499). Verum propositio, quam enunciavimus, si Valentiam audimus (in 3. p. disp. 1. q. 1. p. 5.) „sententia est certissima et communis omnium theologorum, quam defendit d. Thomas 3. p. q. 1. a. 2. (et q. 46. a. 2. ad 3.);" secundum Suarez (de Incarn. disp. 4. s. 2.) ita certa „ut negari non possit sine temeritate et aliquo fidei incommodo;" et secundum Lugo (de incarn. d. 2. s. 1. n. 6.) opposita opinio „ad errorem accedit". Et merito cum ea 1. citra rationem sufficientem divinae sapientiae et potentiae limites ponat. Hinc 2) passim a patribus (cf. Valentia l. c., Petavius de incarn. l. 2. c. 12.) reprobatur. Speciminis gratia sint haec Athanasii (or. 2. c. Arian. n. 68): „Sine ullo ejus (Filii) adventu poterat Deus tantummodo dicere atque ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet, quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus." Augustinus (de agone christ. n. 12.): „Sunt autem stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur ex femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur! Quibus dicimus: Poterat omnino! Sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret". Bernardus ep. 190. ad Innocentium II. c. 8. n. 19: „Ratio hujus facti fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios et alios modos nostrae

modo ei pernoto; nulla enim oratio miraculum hoc assequi valeat; moriturque quod

---

redemptionis, justificationis, liberationis?" Quare 3) si patres nonnunquam incarnationis ad reperandum humanum genus necessitatem videntur docere, vel de ea loquuntur necessitate, quam mox concedemus, vel de ea, quae convenientiae cuidam aequipollet. V. *Necessaria fuit incarnatio ea in hypothesi, quod Deus citra condignam satisfactionem sibi exhibitam noluerit humanum reparare genus.* Cujus ratio ita paucis poterit enunciari: Ut satisfactio sit condigna, hoc est, offensae adaequata compensatio, opus est, ut persona satisfaciens sit dignitatis aequalis cum persona offensa, vel certe ut non tanta sit inter eas distantia, quae nulla operum excellentia possit exaequari. Sicut enim injuriae gravitatem in primis personae offensae dignitate dimetimur, ita satisfactionis valorem personae satisfacientis aestimamus dignitate. Quod si hoc merito quacunque in satisfactione condigna postulatur, a fortiori id exigi poterit, si unica satisfactione culpae prope innumerae sint delendae, promerendaque innumera gratiae dona. Sed Deum inter et creaturam quamlibet distantia est infinita. Nulla proinde pura creatura condigne poterit pro humani generis peccatis satisfacere Deo. Quare ut ejusmodi satisfactio condigna sit possibilis, necessaria est personae divinae incarnatio. Persona enim divina incarnata secundum eam naturam, quam assumsit, poterit satisfacere, quod secundum naturam divinam non potest; et quia infinitae est majestatis, in has satisfactiones secundum naturam assumptam exhibitas infinita redundabit dignitas, valor atque pretium, quo carent actiones cujuscunque creaturae.

factus erat; redimit vero quod erat, juxta quod ait Paulus: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum* (Ephes. 1, 7.). O miram magnamque rem! Immortalitatem aliis conciliavit atque peperit: quippe qui ipse immortalis erat. Nemo enim quisquam talis ratione incarnationis vel fuit, vel erat, vel est unquam futurus, praeter eum solum, qui ex Virgine Deus ac homo natus est; non eo solum merito pollens, quod reorum multitudini redimendae par esset, sed et quod multis partibus excelleret. Nam qua filius est, eandem cum Patre naturam incommotabiliter servat: qua vero rerum opifex, nullius virtutis est indigens: qua autem misericors, immensa inexhaustaque misericordia pollet: qua denique pontifex, idoneus intercessor assistit: quorum omnium nihil unquam si-

---

Ad rem Ambrosius l. 6. in Luc. n. 108: „Quis tantus homo, in quo omnium peccata morerentur? Idcirco non unus e plebe, non unus e numero, sed Filius Dei a Deo Patre electus est, qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, ut cum esset fortior morte, alios liberaret.“ Quibus praeclariora adhuc habet Proclus ipse n. seq. et 9. praesertim C. Thomassini de incarn. l. 9. c. 7; Bertage, katholische Dogmatik. t. 6. § 3, 4.

mile, nihil aequale in alio quopiam reperire quis poterit. Nam vide ejus clementiam. Sponte morti addictus ac condemnatus mortem, quae crucifigentibus ipsum debebatur, destruxit; interfectorumque iniquitatem in eorum, qui inique egissent, salutem convertit.

7. Posse itaque salvare, majus erat quam pro facultate puri hominis: siquidem ipse quoque salvantem necessarium habebat, juxta quod Paulus ait: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei* (Rom. 3, 23.) etc. Quia ergo peccatum ejusdem reum diabolo obstrinxerat, ipsum diabolus in mortem praecipitem agebat. Quocirca res nostrae in maximum discrimen adductae erant, nec spes ulla liberationis a morte reliqua videbatur. Qui destinati erant medici, deploratos praedicabant. Quid ergo? Videntes prophetae humana majus industria vulnus inflictum, coelestem medicum inclamabant. Ac unus quidem ajebat: *Inclina coelos, et descende* (Psal. 143, 5.). Alius vero: *Sana me, Domine, et sanabor* (Jerem. 17, 14.). Unus: *Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos* (Psal. 79, 3.). Alius: *Si vere Deus habitabit cum hominibus* (III. Reg. 8, 27)? Unus: *Cito anticipent nos misericordiae tuae, Domine, quia pauperes facti*

sumus nimis (Psal. 78, 8.). Alius: *Heu mihi, periit reverens a terra, et qui ex virtute ac recte vivat, in hominibus non est* (Mich. 7, 2.). Unus: *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina* (Psal. 69, 2.). Alius: *Adhuc modicum, et qui venturus est, veniet, et non tardabit* (Habac. 2, 3.). Unus: *Erravi sicut ovis quae periit: quaere servum tuum* (*sperantem in te* Psal. 118, 176.). Alius: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit* (Psal. 49, 3.). Is igitur, qui natura rex est, non despexit humanum genus multis jam annis tyrannide oppressum. Non permisit sua Deus misericordia perpetuo obstrictum teneri diabolo; sed venit ipse qui semper et ubique adest, ac proprium sanguinem nostri causa in redemptionis pretium profudit; carnemque quam ex Virgine susceperat, commutationem pro ejusdem salute morti tradidit; ac mundum a legis redemit maledicto, mortem destruens morte; unde etiam clamat Paulus: *Christus nos redemit de maledicto legis* (Galat. 3, 13.).

8. Qui nos ergo redemit, o Judaee, non est purus homo: universa enim hominum natura peccati servitute oppressa tenebatur:

at neque Deus tantum, humana destitutus natura; corpus namque habebat, o manichaee. Nisi enim me induisset, haud mihi salutem contulisset: sed ipse in Virginis utero editus, reum induit. Mira quaedam ac stupenda illic facta est commutatio: dans enim spiritum, accepit carnem. Idem ipse cum Virgine et ex Virgine. Nam illud quidem obumbravit ei; hoc ex ea carnem assumpsit. Si est alius Christus, alius Deus Verbum, jam non erit Trinitas sancta Trinitas; sed sententia tua, o haeretice, quaternitas. Noli discindere incarnationis tunicam desuper contextam, noli esse discipulus Arii. Ille enim deitatis substantiam impie secat; tu ne conjunctionem dividas, ut ne a Deo dividaris. Quisnam obsecro iis illuxit, qui in tenebris et umbra mortis sedebant (Luc. 1, 79.)? Homone? At quomodo poterat, qui et ipse in tenebris versaretur juxta quod divinus apostolus Paulus ait: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum* (Coloss. 1, 13.)? *Eramus enim aliquando tenebrae*, sicut scriptum est, *nunc autem lux in Domino* (Ephes. 5. 8.). Ecquis tandem illuxit nobis? Docet te David, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (Psal. 117, 26.). Ecquisnam est iste? Dicito clarius, o David [Isaias], *Clama for-*

titer, et ne parcas; quasi tuba exalta vocem tuam (Is. 58, 1.): edicito quis iste sit: *Dominus*, inquit, *Deus virtutum*: *Deus Dominus, et illuxit nobis* (Psal. 67, 27). Nam, *Verbum caro factum est* (Joan. 1, 14.). Coierunt in unum naturae, mansitque unio absque ulla confusione.

9. Ad salvandum venerat: sed mori quoque illum oportebat. At utraque haec, quonam pacto fieri poterant? Purus homo salvare non poterat: Deus solus mori nequibat. Quid igitur? Ipse Deus exsistens, nempe Emmanuel, homo factus est; et id quidem quod erat salutem contulit: quod vero factum est, passiones ac mortem subiit. Quocirca cum Ecclesia synagogam cerneret spinis illum coronasse, lugens tantum facinus, ajebat: *Filiae Hierusalem, egredimini, et videte coronam, qua coronavit eum mater sua* (Cant. 3, 11.). Ipse namque spineam coronam gestavit (Joan. 19, 2.), spinarumque dissolvit sententiam (Gen. 3, 18.), Ipse in sinu Patris atque in utero matris. Ipse in ulnis matris, et supra ventorum pennas incedens (Psal. 53, 3.). Ipse in coelis ab angelis adorabatur, atque in terris communi cum publicanis mensa discumbebat (Matth. 9, 19). Ipsum in quem nec seraphim

audebant aspicere, Pilatus interrogabat, servus colaphis caedebat (Joan. 18, 33.), et creatura horrebat: cruci affigebatur, nec thronum gloriae deserebat (Psal. 53, 2.): sepulcro claudebatur et coelum pellis instar extendebat: inter mortuos reputabatur, et despoliabat infernum: (Matth. 27, 52.): hic seductor calumnia vocabatur (Matth. 27, 63.), illicque sanctus (Isa. 6, 3.) gloriose praedicabatur.

10. O mysterium! Miracula video et Divinitatem praedico: passiones cerno, nec humanitatem inficior. Ceterum Emmanuel naturae quidem portas aperuit ut homo, virginitatis autem claustra non violavit neque perrupit ut Deus: quin ita ex utero est egressus, sicuti per aurem est ingressus: ita natus, sicut conceptus. Ingressus sine passione, egressus est absque ulla corruptione, juxta quod ait propheta Ezechiel: *Convertit me,* inquit, *Dominus ad viam portae sanctuarii exterioris quae respiciebat ad orientem; et haec clausa erat. Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, porta haec clausa erit, et non aperietur; et nullus transibit per eam; sed solus Dominus Deus Israel: ipse ingredietur, et egredietur et erit porta clausa* (Ezech. 44, 1, 2.). En

aperte declaratam sanctam Dei genitricem Mariam. Dirimatur ergo omnis contradictio, ac Scripturarum doctrina illustremur; quo et coelorum consequamur regnum in Christo, cui gloria in secula seculorum, Amen.

S. PROCLI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

ORATIO II. [1]

Laudatio in S. Virginem ac Dei genitricem Mariam.

1. Omnes quidem sanctorum memoria celebres conventus ac dies festi mirabiles sunt, eaque plane stellarum splendorem imitantur. Quemadmodum enim stellae, certa quadam positione in coelo fixae, cum plures dignoscuntur, tum universum circumquaque orbem illustrant, ac una eademque apud indos conspicua est nec apud scythas latet, coruscat in continenti mareque illuminat, ac gubernat dirigitque navigantes; quarum omnium etsi ob multitudi-

---

[1]) Al. 5.

nem ignoramus nomina, splendorem tamen ob pulchridudinem admiramur: ita plane et sanctus quisque habet. Quanquam enim etiam reliquiis sepulchrorum ambitu conclusis, virtutem tamen ne ipsa quidem terra circumscribit. Utque verum habeat, quod dictum est, ex ipsis rebus didiceris. Palestina Abrahae reliquias habet, ejusque tugurium cum paradiso contendit. Qui enim illic Deus adversus Adamum sententiam tulit, hic a patriarcha hospitio exceptus fuit. Josephi ossa unius sepulcri angustiae complectuntur, ejusque cum aegyptia pugnam totius orbis terrae fines stupore admirantur. Moysis ne monumentum quidem invenitur, postque mortem eum praedicat, qui mare rubrum virga discidit. Quo in loco Isaias sepultus sit nescimus, universaque Ecclesia ejus prophetiae vocibus clamat: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium* (Isa. 7, 14.). Tumulatus est Daniel Babylone, ac per universum orbem clamat: *Ecce in nubibus coeli quasi Filius hominis veniens* (Dan. 3, 57.). Ananias ac socii pueri obdormierunt et ipsi Babylone, eorumque vocibus orbis universus quotidie concrepat dicens: *Benedicite omnia opera Domini Domino* (Dan. 3, 57). Ezechiel apud Persas est humatus,

ipseque cum cherubim contenta voce clamat: *Benedicta gloria Domini de loco suo* (Ezech. 3, 12.). Proinde nihil diabolo profuit, quod Adamo in paradiso mortem inflixerit; nam Deus per mortem fiduciae portam justis aperuit.

2. At quamvis omnium sanctorum memoriae mirabiles sint, nihil tamen diei hujus solemniis aequale ad gloriam. Abel sacrificii causa nomen habet (Gen. 4, 4.); Enoch quod Deo placuerit, celebri memoria commendatur (Eccli. 44, 16.); Melchisedech ut Christi imago illustri praeconio celebratur (Heb. 7, 3.): Abraham propter fidem praeclaris laudibus cumulatur; Isaac a typo laudatur; Jacob ob luctam beatus praedicatur; Joseph ob castitatem honori habetur; Job patientiae laude beatus celebratur; Moyses legislatoris nomine honestatur; Jesus Nave ducis exercitus titulo posteris commendatur. Samson ut Dei familiaris beatus praedicatur; Elias aemulator celebratur; Isaias theologi nomine commendatur; Daniel ut perspicax ad intelligendum praedicatur; Ezechiel tamquam arcanorum spectator admirationem habet; David ut pater mysterii in carne celebri laude habetur; Salomon sapientiae titulo admirationem habet. Verum nihil ejusmodi

est, ut cum Dei genitrice Maria comparari possit[1]). Ipsa enim, quem illi in aenigmate

---

[1]) Summae Mariae dignitatis rationem, fundamentum et radicem ejus esse maternitatem, cum Proclo summo consensu patres docent. Et merito. Nam quis non eam magnam praedicet, quae illum, qui capi nullo modo potest, ceperit; eum, inquam, qui coelo terraque contineri nequit (Epiphanius, haer. 30. n. 31)?" „Dominus tecum, inquit s. Sophronius de annunc. n. 21, et quisnam tecum contendere ausit? Deus ex te, ecquis e vestigio tibi non cedat et non magis tibi primatum praecellentiamque gaudens tribuat?" Quibus concinens Basilius seleuciensis (s. 39. in deiparae annunciat.): „Quis non miretur quantopere supereminеat (Maria) quotquot honoramus sanctos? Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiae, qualem matri virtutem inesse cogitabimus? An non majorem multo quam ei subjectis? *Cuivis id notum est.* Si Petrus beatus appellatus est clavesque regni coelorum concreditas habuit, cur non prae omnibus una beata praedicetur, cui datum est eum eniti, quem ille ore confessus est? Si Paulus *vas electionis* cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit illudque ubique terrarum evulgaverit, quale vas erit Dei mater?" Infra audiemus s. Cyrillum, auctorem de concept. n. 14. et Bernardum s. 1. super *Missus est* n. 7, s. 3. n. 4. Tanta est haec dignitas, ut Albertus M. affirmet, Filium *infinitare* matris bonitatem (in Mariali supra *Missus est* q. 197.) et s. Thomas quaerens (1. p. q. 25. a. 6.), utrum Deus possit meliora facere ea, quae fecit, doceat, eum non posse facere matrem meliorem virgine Maria, hanc reddens

viderunt, incarnatum in utero portavit, nihilque huic Dei Verbi dispensationi obstitit. Quid enim? Molesne? At haec materialis affectio est: Verbum autem tum molis, tum affectionis expers est. Tantae minorationis magnitudo? At divinitas non definitur. Sordesne? At qui eam formans nullas contraxit sordes, neque in ea incarnatus et ex ea genitus contraxerit: quin potius humanitas illa ac clementia Regi gloriosa exsistit. Partusne editio? At principii expertem non imminuit partus. Incarnatio? At natura divina mutationem non pertulit. Num matrem habere ratione carnis? At non amisit, ut ne sine matre sit ratione deitatis. Praesepe? At non denudavit paternum sinum. Spelunca? At nunquam Trinitas throno defuit. Nihil ita-

rationem (ad 4.): „B. Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus". Mirum hinc esse non debet, si passim patres fatentur se ad tantam dignitatem praedicandam pares non esse. „Hoc solum, inquit Eadmerus (de excell. V. Mariae c. 2), de s. Virgine praedicari, quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici vel cogitari potest." Et s. Bernardus s. 4. de assumpt. b. Mariae n. 5: „Non est equidem quod me magis delectet, sed nec quod terreat magis, quam de gloria virginis Matris habere sermonem.

que in mundo ejusmodi est, qualis Dei genitrix Maria. Cunctas res creatas o homo, cogitatione percurre, ac perspice, num quidquam sanctae Virginis ac Dei genitricis Mariae aequale sit, aut ipsa fortasse majus. Terram undique lustra; circumspicito mare; sedulo perscrutare aerem; coelos mente excute: invisibiles omnes virtutes animo expende, ac vide, num aliud ejusmodi miraculum in universis creatis invenire sit. Nam *Coeli* quidem *enarrant gloriam Dei* (Psal. 18, 1.): angeli metu inserviunt; archangeli tremore adorant; cherubini non ferentes gloriam, contremiscunt; seraphini circumvolantes propius accedere non audent; verum cum tremore clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus sabaoth; pleni sunt coeli et terra gloria ejus* (Isa. 4, 6.). Stagnum vocem non tulit (Luc. 8, 24.): nubes ejus tremore ascensui vehiculum fuerunt (Isa. 19, 1.); sol non ferens injuriam, inhorruit (Matth. 27, 45.); infernus mortuos timore evomuit (ibid. 52.); janitores inferni, aspectu consternati sunt; mons descensum excipiens fumigavit (Exod. 19, 18.); rubus visionem non ferens ardebat (Exod. 3, 2.); *Jordanis horrore conversus est retrorsum* (Psal. 119, 3.); mare, virgam extimescens, divisum est, ob Domini in ea

figuram cicuratum (Exod. 14, 16.); virga Aaron, ob imaginis quam praeferebat rationem, praeter naturam effloruit (Num. 17, 8.); ignis in Babylone, Trinitatis numerum [1]) reveritus est (Dan. 3, 50.). Recense itaque si qua nova ac mirabilia, Virginisque victoriam admirare; quod nimirum, quem omnis creatura cum timore atque tremore laudibus celebrat, eum sola haec inexplicabili ratione thalamo exceperit.

3. Beatae per eam omnes mulieres. Non erit maledictus ultra, neque exsecrandus femineus sexus, obtinuit enim quo etiam angelos gloria superet. Jam Eva curata est; suppressa silentio aegyptia; tumulata Dalila; oblivione perpetua obruta Jezabel; excidit et Herodias e memoria: nuncque feminarum catalogus admirationi habetur. Laeto plausu laudatur Sara, quasi ferax populorum arvum; honoratur Rebecca, ut callida benedictionum conciliatrix; Lia quoque, tamquam progenitoris secundum carnem mater admirationi habetur; laudibus celebratur Debbora (Judic. 4, 14.), ut quae ductricis partibus supra naturam ac sexum bello defuncta sit;

---

[1]) *Trinitatis numerum*, quem tres pueri referebant.

Elisabeth quoque beata praedicatur, quae praecursorem gestientem utero gestaverit, ac gestientem persentire meruerit. Adoratur et Maria, tamquam quae mater ancillaque et nubes thalamusque, ac arca Domini effecta sit; mater, eum namque peperit, qui voluit nasci; ancilla, quippe naturam confiteor, et praedico gratiam; nubes, concepit enim de Spiritu sancto, quem illaesa integritate peperit; thalamus, in ea etenim ut nuptiali thalamo Deus Verbum habitavit; arca, non quae legem portaverit, sed quae legislatorem pepererit. Quapropter dicamus ei: *Benedicta tu in mulieribus* (Luc. 1, 28.), quae sola Evae moerori medelam attulisti, sola ingemiscentis absterseris lacrymas; sola redemptionis mundi pretium portaveris; sola creditum margariti thesaurum acceperis; sola sine voluptate gravida effecta sis, ac sine dolore pepereris; sola Emmanuelem, qua ipse voluit ratione, partu edideris. *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42.); fructus, inquam, non sementis; flos, non passio; splendor non creatura; coaequalis Patri, non servus; sol, non arena; qui adoratur, non qui creatur; redemptionis pretium, non aeris debitor. *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*

4. Omnium vice, quae tui praeconio dici queunt unus tibi propheta abunde sit ad laudis cumulum, qua clamat: *Ecce virgo habebit in utero* (Isa. 7, 14.). Miraculum dixit, sed modum reticuit. *Et pariet filium.* Praedicavit partum, nec relationem adulteravit. *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Mysterium protulit, altaque velut tonitrui voce appellationem edixit. *Quod interpreteris, Nobiscum Deus* (Matth. 1, 23.). Natam prolem claro praeconio Deum dixit, ac Judaeorum ora obstruxit. *Nobiscum Deus*, ac error exstinctus est: *Nobiscum Deus*, estque abrogata circumcisio: *Nobiscum Deus*, fuganturque daemones: *Nobiscum Deus*, cassaque ac inutilis cessit diaboli opera; *Nobiscum Deus*, nec piscina ac fons sacer baptismi parere desinit; *Nobiscum Deus*, regesque pietatem colunt; *Nobiscum Deus*, et ecclesiae mire frequentantur; *Nobiscum Deus*, morsque somnus reddita est; *Nobiscum Deus*, mortuique vindicatam libertatem exsultabundi celebrant, ac clamore dicunt: Non angelus, non legatus, sed ipsemet Deus venit, et salvavit nos (Isa. 35, 4). Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

SANCTI CYRILLI
ALEXANDRIAE ARCHIEPISCOPI
HOMILIA [1].

Encomium in sanctam Mariam Deiparam.

1. Praeclarus nobis est sermo et gratia cumulatus, cum illustris quoque sit sanctorum Patrum conventus. Enimvero cum vehementi dolore angeretur animus ob impiam Nestorii blasphemiam, hoc sonorum, pulchrum, angelicum et coeleste theatrum excitavi. Hi sunt pietatis magistri, columnae et culmina fidei, turres illae inconcussae, portus laeti, fidi et prudentes oeconomi, sapientes architecti, coelestem navigationem et angelicam vitam in terris degentes, prophetarum contubernales, apostolorum collegae, et sanctarum ecclesiarum praesides, sceleratae blasphemiae vindices, nostrae paupertatis, imo nominis potius sapientes defensores. Hi qui pulchrum et deiformem

---

[1]) Inter homilias hujus patris 11, habita in concilio ephesino. Cf. praefat n. 5.

summi sacerdotii thronum occupant, qui mellifluos latices distillant qui divinae intelligentiae spiritales sunt praecones, qui quadripartitum orbem indefessa peregrinatione peragrarunt, quos nec aestus, nec maris procellae, nec insanientium fluctuum indomitus furor non procellosae tempestates retardarunt, quominus fidelibus gressibus exsultantes huc convenirent, sed rejecta omni desidia, prae desiderio, sed potius prae Domini timore, et assumpta cruce tanquam sapientes Deiparae Mariae vindices huc convenerunt. Quapropter sanctis illorum precibus confirmati, gratulemur aliquantulum huic urbi, atque ita ad laudes Deiparae meam orationem convertam.

2. Salve, Ephesiorum urbs novo maris prospectu ornatior, propterea quod loco terrenorum portuum portus angelici et coelestes ad te venerunt. Salve, asianae praefecturae decus, quod undique sanctorum templis ceu pretiosis margaritis sis aedificata, nunc quoque multorum sanctorum Patrum et patriarcharum trita vestigiis consecraris. Ipsae siquidem portae, et vici, et portus revera sanctorum patrum adventu benedicuntur. Nam ubi multi pastores congregantur, multa per eos fit congregatio sanctitatis: praecipue

vero hi religiosi, fideles et angelorum aequales, vim omnem satanicam et gentilem idolomaniam cum Porphyrianorum [1]), tum Sabellianorum, Phrygum, Apollinaristarum, atque Photinianorum, et [2]) . . . . . . expellunt, et per eos omnis, ut verbo dicam, nefaria haeresis confunditur, orthodoxae vero fidei gloria celebratur.

3. Salve porro etiam o ter beate Joannes apostole et evangelista, virginitatis decus, pudicitiae magister diabolicae fraudis exterminator, templi Dianae eversor, Ephesinae urbis portus et propugnaculum, pauperum nutritor, afflictorum perfugium, vicinorum ac peregrinorum quies ac refrigerium. Salve, purissimum vas temperantia plenum. Tibi enim Dominus noster Jesus Christus, cum in cruce efferretur, Deiparam illam semperque virginem, ut virgini tradidit.

4. Salve tu quoque, Maria Deipara, Virgo mater, lucifera, vas incorruptum. Salve, Virgo Maria, mater et serva: Virgo quidem propter eum, qui natus est ex te Virgine; mater vero

---

[1]) Porphyrianorum i. e. philosophorum gentilium religionis christianae hostium, inter quos eminebat ducis et magistri instar Porphyrius.

[2]) Hic nonnulla desunt.

propter eum, quem in tuis ulnis gestasti, et lacte tuo nutristi: serva propter eum, qui servi formam cepit. Ingressus enim est Rex in urbem tuam, seu potius in uterum tuum et rursus egressus est ut ipse voluit, et porta tua clausa est. Concepisti enim sine semine, et divinitus genuisti. Salve, Maria, templum in quo Deus suscipitur, imo sanctum, quemadmodum clamat propheta David, dicens: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate* (Psal. 64, 6.). Salve, Maria, pretiosissima res totius orbis; salve, Maria, columba incorrupta; salve Maria, lampas inexstinguibilis: ex te enim natus est Sol justitiae. Salve Maria, locus ejus qui loco non capitur, quae unigenitum Deum Verbum cepisti, quae spicam sine aratro et semine germinasti immarcescibilem. Salve Maria Deipara, propter quam prophetae clamant, ob quam pastores laudes canunt Deo, cum angelis hymnum illum tremendum dicentes: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. 2, 14.). Salve, Maria Deipara, propter quam angeli choros ducunt, exsultant archangeli tremendos hymnos emittentes. Salve, Maria Deipara, propter quam magi adorant, ab illustri stella deducti. Salve, Maria Deipara,

propter quam duodecim apostolorum decus est electum. Salve, Maria Deipara, propter quam Joannes adhuc in utero matris cum esset, exsiliit, et adoravit lucerna perenne lumen (Luc. 2, 41.). Salve, Maria Deipara, per quam ineffabilis gratia prodiit, de qua Apostolus dicebat: *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus* (Tit. 2, 11.). Salve, Maria Deipara, per quam prodiit lux vera, Dominus noster Jesus Christus, qui dicit in Evangeliis: *Ego sum lux mundi.* (Joan. 8, 12). Salve, Maria Deipara, per quam illuxit lumen sedentibus in tenebris et umbra mortis. *Populus enim*, inquit, *qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam* (Isa.9,2). Ecquam vero lucem, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, lucem illam veram, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. 1, 29)? Salve, Maria Deipara, propter quam in Evangeliis praedicatur: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (Matth. 21, 9): propter quam in civitatibus, in pagis et insulis orthodoxorum fundatae sunt ecclesiae. Salve, Maria Deipara, per quam prodiit mortis victor et inferni exterminator. Salve, Maria Deipara, per quam prodiit protoplastae conditor et praevaricationis ejus emendator, dux regni

coelestis. Salve, Maria Deipara, per quam floruit et effulsit resurrectionis decus. Salve, Maria Deipara, per quam baptisma sanctitatis tremendum et jordanicum effulsit. Salve, Maria Deipara, per quam Joannes et Jordanis sanctificantur, et diabolus rejicitur. Salve, Maria Deipara, per quam salvatur omnis spiritus fidelis. Salve, Maria Deipara, per te enim fluctus maris placati ac sedati conservos nostros et comministros cum gaudio et suavitate portarunt. Terra enim, a latronibus quondam occupata, sanctorum patrum adventu in pacem conversa est. Scriptum est enim: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (Isa. 52, 7)! Ecquam pacem? Dominum nostrum Jesum Christum, pacis praeconem, qui in sanctis Evangeliis ait: *Pacem meam do vobis* (Joan. 14, 27). Quam pacem? illam quam blasphemus Nestorius non accepit, dicens, non esse natum Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium Verbum ex Maria Virgine, nec inviolabilem virginitatis partum agnoscens nec archangeli voci credens dicenti: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28). Persico enim regno [1]) assimilatus, et unige-

[1]) Graece: *Περσικῇ γὰρ βασιλείᾳ ἐξομοιού-*

nitum Dei Filium deitate spoliare tentans, in multorum exitium et animarum blasphemiam ista confinxit.

5. Sed quoniam de hoc gallo, qui nefarie blasphemavit multa pridie disserui, cum perdicem vobis exposui, quam Jeremias propheta praedicavit, dicens: *Clamavit perdix; congregavit quae non peperit* (Jerem. 17, 11); adeoque nefarius iste ac blasphemus, videns a comitibus se defendi, horum fiducia elatus est, imo cum speraret se nobis terrorem injicere, nos erexit: age, cum suspiriis et lacrymis pro more dicamus: *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (Psal. 117, 9). Hic enim hic exsecrandus, exhausta aurea sua pharetra, consules et comites, et magistros reginarumque

---

μενος. Hanc lectionem retinuit Aubertus, quamquam ejus judicio rectius scriberetur *πέρδικι βασιλείᾳ ἐξομοιούμενος imperatoriae perdici assimilatus.* Quod ex subjunctis verbis licet conjicere, ubi ait pridie se de perdice disseruisse, allato et exposito Jeremiae loco: *Clamavit perdix, congregavit quae non peperit* (Jer. 17, 11), qui locus, Ambrosio et Hieronymo testibus, quadrat in avaros, qui per fas et nefas pecuniam corradunt, nihil interim profuturi. Id vero de Nestorio dici luce meridiana clarius est, quippe nefaria largitione comites aliosque aulicos ad se pertraxit inque eos pecuniam suam exhausit.

chorum concitavit [1]: sed nos propheticum illud usurpemus: *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri* (Psal. 19, 8). Si enim aut ad potestates mundi, aut ad piissimum imperatorem loqui me aliquid oporteat, non confundar neque pavebo, cum prophetam Davidem habeam continuo me adhortantem ac dicentem: *Loquebar in conspectu regum, et non confundebar* (Psal. 68, 46).

6. Quis res tam horrendas ac terribiles audiit? Christum et Deum Verbum, a prophetis et apostolis nobis praedicatum, nunc in hominem transformatum, et Deiparam hominiparam nuncupatam! Ne mihi jam opponat aliquis ingratorum et nefariorum judaeorum praefractam audaciam, qua in Christum usi tunc sunt improbi. Quis enim fiduciam nunc dedit? Qui Dei oraculum blasphemis vocibus insectatus est, dicens: Vos hominem crucifixistis. Quin et gentilium

---

[1]) Hic ad fraudes respicit Nestorii, qui aulicos auro corrumpere atque ad suas trahere satagebat partes, nec irrito conatu. Nam comites caesarei Candidianus et Joannes ad concilium ephesinum in causa Nestorii convocatum ab imperatore missi, huic haeretico non minimum favebant patresqua orthodoxos vexabant.

errorem, et nidores impios et nefanda sacrificia, quae lapidibus offeruntur, sed et improbos conatus et tetrum Arii morbum, ac scelestissimam manichaeorum blasphemiam, et pestilens Sabellii, Porphyrii et Photini maligni consilium, quem etiam hic blasphemando sequitur eheu! denique cunctos superavit istius improbitas, et in ipso impletum est caput et summa superbi illius dicentis: *Destruam horrea mea et majora aedificabo.* Cui repositum est: *Stulte hac nocte angeli animam tuam repetent abs te: quae autem praeparasti cujus erunt* (Luc. 12, 18—20)? Quantum enim sublatus es, qui inquinamentum eras ac sordido genere natus, tantumdem vicissim depressus es, ac in blasphemiae barathrum dejectus: quem non persuasit Paulus apostolus, vas illud electionis, cicada Ecclesiae, evangelicum ac coeleste incensum, fons odorifer, ille epistolarum bajulus ac scriptor, qui inter eundum lumine orbatus (Act. 9, 8). Dei cognitione altissimos coelos penetravit (II. Cor. 12, 2), quem Christi visio in faciem prostravit, et agnitio Dei rursus ad fidem perduxit; qui orbem terrae firmavit, ut crederet in consubstantialem Trinitatem, in unum Dominum, unam fidem, baptisma unum, Patrem unum,

Filium unum, unum Spiritum sanctum, indivulsam substantiam, simplicissimam, incomprehensibilem divinitatem, Deum de Deo Dominum, lumen de lumine, splendorem gloriae, natum ex Maria Virgine, juxta vocem archangeli dicentis: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28); item: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Idcirco et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei viventis* (Luc. 1, 35). Non solum autem per archangelum Gabrielem, sed et per beatum Davidem quotidie ipsum audimus in ecclesiis canentem et dicentem: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te* (Psal. 2, 7). Et sapientissimus ille Isaias, filius Amos prophetae. propheta ex propheta, praedicavit dicens: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (Isa. 7, 14).

7. Sed non credis prophetis et apostolis et archangelo Gabrieli: condaemones tuos saltem imiteris, qui ejus vim horruerunt clamantes: *Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos* (Matth. 8, 29). Si enim tunc daemon verum dixit, *ante tempus*, nunc demum in te per-

venit. Oportebat enim venire antichristum: sed illius loco tu statim advenisti: neque diabolo qui te decipit credidisti dicenti: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (Matth. 4, 3). O rem tremendam ac stupore plenam! Daemones cum patre suo diabolo Dei Filium vocant eum, qui natus est ex Maria Virgine: hic Dei Filium in hominem transfert, et conversione quadam stulte excogitata, piissimum imperatorem, orthodoxae fidei servum et amicum, unaque sanctarum reginarum chorum fide illustrium conatus est pervertere; sed successu res caruit. Facultates enim pauperum auri cupidis hominibus largitus, speravit earum ope expugnatum iri veritatem, et per nefarii quaestus cupiditatem in naufragium incidit miserrimum: in portu cum esset, fecit naufragium, fidei clavo relicto. Ideoque malis submersus est, ac tragoediae theatrum universo factus est orbi. Speravit enim maligno suo et acerrimo ingenio pietatis cultores se persuasurum, cum tenebricosa mente doctrinam patrum, et apostolorum, atque evangelistarum et archangelorum voces non caperet; vecordia stultitiaque mala reperta, atque impietate circumfusus, pestiferam et impiam

religionem orbi terrarum statuere conatus est. Sed nos imparatos non invenit adversus impium et blasphemum ejus consilium. Non enim militaribus armis confidimus, neque fulvo et conspicuo praesidio, sed oppositis sanctis ac divinitus inspiratis Scripturis ei respondemus. Nostra enim arma carnalia non sunt, neque terrena, sed spiritalia et coelestia, quemadmodum beatus Paulus praedicavit (2. Cor. 10, 4).

8. Sed nemo nos existimet, cum haec dicimus, tuo casu laetari, o miserrime! Nam cum in fossam blasphemiae hujus incidisses, manum tibi per literas porreximus, et nostram mediocritatem contempsisti, ideo contumaciae periculum incurristi. Quod enim ita res plane sint, testem locupletem proferamus sanctissimum Coelestinum et archiepiscopum totius orbis[1]), et patrem et patriarcham magnae urbis Romae, qui et ipse te per literas adhortatus est, ut ab insana illa tua blasphemia desisteres: sed ei quoque non

---

[1]) *Τὸν ἁγιώτατον καὶ ἀρχιεπίσκοπον πάσης τῆς οἰκουμένης, πατέρα τε καὶ πατριάρχην Κελεστῖνον τὸν τῆς μεγαλοπόλεως Ῥώμης.* Notetur hoc insigne celeberrimi patris graeci pro romani episcopi in universam Ecclesiam primatu testimonium.

obtemperasti, et gloriatus es in vanitate stultitiae tuae; factus novacula totius orbis quadripartitum orbem turbasti, et sanctos universos in hunc locum multo cum labore ac timore coegisti. Scripsisti enim nequitiam, et non bonitatem. Propterea Deus te tandem tollet de sacerdotio, et de sapientia patrum exturbabit, primum ex urbe regia, tum ex summi sacerdotii throno dejectum, quem immerito consecutus es. *Idcirco videbunt justi ac timebunt, et super te ridebunt, ac dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua* (Psal. 51,8). Nos autem, quotquot veritatem Evangelii sequimur erimus, juxta illud prophetae dictum, *sicut oliva fructifera in domo Dei* (Psal. 51, 10), glorificantes Deum Patrem omnipotentem et Filium ejus unigenitum, natum ex Maria, et sanctum Spiritum, illum vivificum quique vitam praebet omnibus, subditi imperatoribus fidelissimis, et virginitate conspicuas sanctas reginas honorantes[1]). Illi vero (regi-

[1]) Hae reginae sunt Theodosii imperatoris sorores, Flacilla, Arcadia, Marina et quae omnes vitae sanctitate bonoque exemplo praeibat, s. Pulcheria.

nae) quae matrimonio est juncta filium precabimur, atque uti perstet regia (aula) pia erga Deum, fidei amans et orthodoxa, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in secula seculorum. Amen.

S. BERNARDI
ABBATIS CLARAE - VALLENSIS
DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS[1])
super verba Evangelii: *Missus est angelus Gabriel* etc.

HOMILIAE IV.

Scribere me aliquid et devotio jubet, et prohibet occupatio. Verumtamen quia praepediente corporali molestia, fratrum ad

---

[1]) Sequentes quatuor homiliae, quod unum est ex primis Bernardi operibus, etsi vulgo inscribantur *super Missus est,* ex mente tamen auctoris, ipsius inquam Bernardi, inscribendae *De laudibus Virginis Matris.* Nam sic ipse in praesenti praefatione et in ep. 18. ad Petrum diac. card. „Scio, inquit, me scripsisse quatuor homilias in laudibus Virginis matris, nam hunc habent titulum etc.“ Et iterum ep. 89. ad Ogerium: „Alium libellum a me nuper editum in laudibus Virginis matris tibi transmitto“. Mabillon.

praesens non valeo sectari conventum: id tantillum otii, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus intercipere sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod saepe animum pulsavit: loqui videlicet aliquid in laudibus Virginis Matris, super illa lectione evangelica, in qua, Luca referente, dominicae annunciationis continetur historia. Ad quod sane opus faciendum etsi nulla fratrum (quorum me profectibus deservire necesse est) vel necessitas urgeat, vel utilitas moveat: dum tamen ex hoc non impediar, quo ad quaeque ipsorum necessaria minus paratus inveniar, non arbitror eos debere gravari, si propriae satisfacio devotioni.

HOMILIA I.

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen Virginis Maria. Luc. 2, 26. 27.

1. Quid sibi voluit evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit

enarrare. Nominat siquidem nuncium qui mittitur, Dominum a quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, Sponsum quoque virginis: amborumque genus, civitatem ac regionem propriis designat nominibus. Ut quid hoc? Putasne aliquid horum supervacue positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre coelesti cadit super terram (Matt. 10, 29): putem ego de ore sancti evangelistae superfluum diffluere verbum, praesertim in sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac coelesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem, et colles fluxerunt lac et mel (Joel. 3, 18), quando rorantibus coelis desuper nubibusque pluentibus justum, aperta est terra laeta germinans Salvatorem (Is. 45, 8): quando Domino dante benignitatem, et terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum et pinguem, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt (Psal. 84, 11). Illo quoque in tempore unus iste inter ceteros montes non modicus, beatus

hic videlicet evangelista, dum desideratum nobis nostrae salutis exordium suo mellifluo commendavit eloquio, veluti perflante austro, atque e vicino sole radiante justitiae quaedam ex eo spiritualia profluxerunt aromata. Utinam et nunc Deus emittat verbum suum, et liquefaciat ea nobis; perflet spiritus ejus, et fiant nobis intelligibilia verba evangelica: fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, fiant et dulciora super mel et favum!

2. Ait itaque: *Missus est angelus Gabriel a Deo.* Non arbitror hunc angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum *Fortitudo Dei* dicitur: et quia non ab alio aliquo forte excellentiori se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, *a Deo*, vel ideo dictum est, *a Deo*, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium [1]),

---

[1]) Hisce verbis nonnulli movebantur, ut testis est nobis ipse Bernardus in tractatu de baptismo ad Hugonem de s. Victore, alias ep. 77. c. 5. Ut vero hanc suam sententiam a censura vindicet, animadvertit se „eandem sententiam non constanter

excepto dumtaxat archangelo Gabriele, qui utique tantae inter suos inveniri potuerit excellentiae, ut tali et nomine dignus haberetur et nuncio. Nec discordat nomen a nuncio. Dei quippe virtutem Christum quem melius nunciare decebat, quam hunc, quem simile

---

affirmare, sed cum temperamento, suspendentem sub disjunctiva particula: vel ideo, inquam, dictum est *a Deo* . . . quo et mihi non incumberet defendendi necessitas et lectori daretur eligendi facultas. Quamquam, subjicit, etsi ex sententia dixerim, ignotum usque tunc sanctis angelis fuisse Dei consilium, non quidem quia per incarnandi Verbi mysterium Dei propositum erat quandoque operari salutem in medio terrae (hoc enim et multis mortalium et praescire donatum est et praedicere), sed quod potissimum tempus, quemve locum vel modum, praecipueque quam virginem ad implendum propositum suum elegisset Deus; si, inquam, hoc Dei consilium non de opere, sed *de tempore*, *loco*, *modo* atque *persona* etiam sanctos ignorasse angelos senserim et scripserim, profecto non video, cur incredibile videatur.“ Plures deinde adducit conjecturas, ut ostendat incredibile id non esse atque assertionis suae apologiam ita absolvit: „Hoc responde fratribus, qui me reprehendunt, quod dixerim ad laudem Virginis, ideo positum esse *a Deo*, ne cui forte vel beatorum angelorum suum consilium Deus prius quam Virgini revelasse putetur, excepto dumtaxat archangelo Gabriele. Suum consilium dixi, non *de opere* sed de operis *tempore*, de *loco*, de *modo*, de *personae quoque electione*.

nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quam virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, dominum et nuncium communi censeri vocabulo: cum similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive *Christus Dei virtus* et dicitur (I. Cor. 1, 24), et est, quae forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo bracchio debellavit: et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujusmodi meruerit praerogativam officii, quo ejusdem nunciaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expavesceret, confortare deberet, quod et fecit, *Ne timeas*, inquiens, *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Sed et ipsius sponsum, hominem utique nihilo minus humilem ac timoratum, non irrationabiliter forsitan idem angelus confortasse creditur, quamquam tunc ab evangelista non nominetur. *Joseph*, inquit, *fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam* (Matth. 1, 20). Conve-

nienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imo quia tale illi negotium injungitur, recte tali nomine designatur.

3. Missus est ergo angelus Gabriel a Deo. Quo? *In civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth.* Videamus, si (ut ait Nathanaël) *a Nazareth potest aliquid boni esse* (Joan. 1, 46). Nazareth interpretatur flos. Videntur autem mihi quoddam semen fuisse divinae cognitionis, tamquam e coelo jactatum in terras, allocutiones et promissiones factae coelitus ad patres, Abraham scilicet, Isaac, et Jacob; de quo semine scriptum est: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus; et quasi Gomorrha similes essemus.* (Isa. 1, 9.) Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quae ostensa sunt in exitu Israël de Aegypto, in figuris et aenigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis et deinceps in visionibus et vaticiniis prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotii usque ad Christum. Christus autem hujus seminis et horum florum non immerito fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum* (Psal. 84, 13.). Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Psal.

131, 11). In Nazareth ergo nunciatur Christus nasciturus: quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu, flos decidit: quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Unde et Nazareth civitas Galilaeae dicitur, id est, transmigrationis: quia nascente Christo, omnia illa transierunt, quae superius enumeravi, quae, ut ait Apostolus, *in figura contingebant illis* (I. Cor. 10, 11). Hos ergo flores et nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus: et dum adhuc florere videbantur, transituri praevidebantur. Unde David: *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat: vespere decidat, induret et arescat* (Psal. 89, 6). Vespere etenim, id est, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum, factum ex muliere, factum sub lege, dicente ipso: *Ecce nova facio omnia* (Apoc. 25, 5); vetera transierunt et disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt et arescunt. Unde rursus scriptum est: *Fenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in aeternum* (Isa. 40, 8). Credo non ambigis, quin verbum fructus sit; Verbum autem Christus est.

4. Bonus itaque fructus Christus, qui manet in aeternum. Sed ubi est fenum quod

aruit? ubi est flos qui decidit? Propheta responderat: *Omnis caro fenum; et omnis gloria ejus tamquam flos feni* (Isa. 40, 6.). Si omnis caro fenum: ergo carnalis ille populus judaeorum ut fenum aruit.[1] An non fenum aruit, dum idem populus ab omni spiritus pinguedine vacuus, siccae literae adhaesit? Annon etiam flos decidit, quando gloriatió, quam habebant in lege, non remansit? Si flos non decidit: ubi ergo regnum, ubi sacerdotium, ubi prophetae, ubi templum, ubi denique magnalia illa, de quibus gloriari solebant, et dicere: *Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis?* Et iterum: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis* (Psal. 77, 3.)? Et haec dicta sunt pro eo quod positum est: *In Nazareth civitatem Galilaeae.*

5. In illam ergo civitatem missus est angelus Gabriel à Deo. Ad quem? *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Quae est haec Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab angelo: tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulcra permixtio virginitatis et humilitatis: nec mediocriter pla-

---

[1]) Al fuit.

cet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista praecipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur: *Qui potest capere, capiat* (Matt. 19, 12.): de ista dicitur: *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum coelorum* (Matth. 18, 3.). Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari: sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quae virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariae placuisset. *Super quem,* inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum* (Is. 66, 2)? *super humilem* dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset nec impraegnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque, quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa per-

hibet, *respexit humilitatem ancillae suae Deus* (Luc. 1, 48.), potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

6. Quid dicis, virgo superbe? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate: et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Respexit*, ait illa, *humilitatem ancillae suae.* Quae illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Numquid tu castior illa? numquid devotior? Aut numquid tua forte pudicitia gratior castitate Mariae: ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua? Denique quanto honorabilior es ex singulari munere castimoniae, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem foedas permixtione superbiae. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas: multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, et sufficit tibi. Quod si et virgo, et humilis es; quisquis es, magnus es.

7. Est tamen majus aliquid quod mireris

in Maria: scilicet cum virginitate fecunditas. A seculo enim non est auditum, ut aliqua simul mater esset, et virgo. O[1]) si et cujus est mater attendas! quo te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo Veritatis judicio, illa quae Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur angelorum? Annon Deum et Dominum angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic* (Luc. 2, 48.)? Quis hoc audeat angelorum? Sufficit eis et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt et vocati angeli, testante David: *Qui facit*, inquit, *angelos suos spiritus* (Psal. 103, 4.). Maria vero matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit evangelista: *Et erat*, inquiens, *subditus illis* (Luc. 2, 51.). Quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariae; nec

[1]) Al quod.

tantum Mariae, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrimque stupor, utrimque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocunque ierit. (Apoc. 14, 4.) Quibus ergo laudibus judicas dignam, quae etiam praeit?

8. Disce homo obedire; disce terra subdi; disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens evangelista, *Et erat*, inquit, *subditus illis* (Luc. 2, 51.), haud dubium, quin Mariae et Joseph. Erubesce, superbe cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis auctori? Utinam mihi aliquando tali aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod et suo increpando respondit apostolo: *Vade*, inquit, *post me satana, quia non sapis ea quae Dei sunt* (Matt. 6, 23.). Quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeire contendo: et tunc vere non sapio ea quae Dei sunt. De ipso namque

dictum est: *Et erat subditus illis.* Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocunque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit. Hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: a cujus rectitudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocunque ierit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus; sed neuter quocunque ierit: quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni, qui sine macula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, qua scilicet non coram tondente, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbus: cum et illius immunditiam sua humilis satisfactio purget et hujus pudicitiam superbia inquinet.

9. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fecunditas: et nihilo minus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fe-

cunda virginitas: et incomparabilis prorsus fecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile[1])? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum vero si non haesitas in eorum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fecunditas in virgine, an in matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas, nisi quod indubitanter horum singulis praeferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis legitur (Psal. 67, 36.) et cernitur in sanctis suis, mirabiliorem se exhibuit in matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam vos, sacrae virgines, in virgine fecunditatem: imitamini omnes homines, Dei matris humilitatem. Honorate, sancti angeli, vestri Regis matrem, qui nostrae adoratis Virginis prolem, ipsum

---

1) Ab hisce verbis finis hujus homiliae, et totum initium sequentis ad verba, *His nimirum*, num. 2. desiderantur in plerisque antiquis codicibus, in quibus juncta simul prima et secunda homilia, tres tantum inveniuntur homiliae super *Missus est.*

utique nostrum pariter ac vestrum regem, nostri generis reparatorem, vestrae civitatis instauratorem. Cujus apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, a vobis pariter, et a nobis detur et dignitati debita reverentia, et dignationi honor et gloria in secula seculorum, Amen.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS,

HOMILIA II.

1. Novum quidem canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum reginam cum ceteris, imo primam inter ceteras esse cantaturam, nemo est qui ambigat. Puto autem illam, praeter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus ei (ut dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine laetificaturam esse civitatem Dei. Cujus utique dulcisonos depromere vel exprimere modulos ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur: quia soli merito decantandum servabitur, quae sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est quem peperit) matrem suam singulari in coelestibus donaturus in

gloria, singulari in terris praevenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter et intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porro Deo hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde factor hominum ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus: voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit ergo Virgini partum, qui ei jam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis praerogaverat meritum. Alioquin quomodo angelus eam in sequentibus gratia plenam pronunciat, si quidpiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat?

2. Ut igitur quae Sanctum sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis

decore praefulgida, specie sua et pulcritudine sua in coelestibus cognita, coeli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et coelestem nuncium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hic evangelista commendat, cum angelum perhibet a Deo destinatum ad Virginem: *A Deo*, inquit, *ad virginem*: id est, a celso ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite matres, currite filiae, currite omnes, quae post Evam, et ex Eva et parturimini cum tristitia, et parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestrae cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nunciet ei, si forte audiatis unde consolemini.

3. Laetare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exsulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et, quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat nam-

que tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi.* (Gen. 3, 12.) Propterea curre Eva ad Mariam: curre Mater ad filiam; filia pro matre respondeat, ipsa[1]) matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. Quid dicebas, o Adam? *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi.* Verba malitiae sunt haec, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniae, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suae pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina[2]), prudens

---

[1]) Al ita.

[2]) Sicut summa Mariae dignitas *Matris Dei* nomine significatur (cf. supra hom. 1. n. 7. et annot. ad Procli or. 2. n. 2.), ita haud parum eadem illustratur *comparatione instituta cum Eva.* Est enim illa, si fidei analogiam consulimus ac patres audimus, altera longeque praestantior Eva, ut hic pulcherrime docet Bernardus. Ut haec tamen melius intelligantur,

pro fatua, humilis pro superba; quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae et pro

---

ea ad quaedam capita revocabimus. In primis docent patres, Deum pro admirabili sua sapientia iisdem veluti gradibus eademque propemodum via reparare voluisse humanum genus, qua lapsum est. „Quoniam oportebat, inquit ad rem Joannes Geometra or. in Deiparae annunc. n. 8., ut consentanea morbis pharmaca pararentur, idcirco omnia ita peracta sunt, ut adamussim pars parti responderet, et exinde angelus mittitur propter angelum . . . sed et propter mulierem mulier eligitur, et propter Evam vita, et propter corruptam integra virgo, et propter deceptam ea, quae simul cum illa direpta non fuerit; propter illam, quae excidit ex Eden, ea quae ad templum fuit adducta, propter inescatam blandimentis voluptatis ea, quae ne cogitationibus quidem contaminata est, et propter illam, quae male cum daemone sermones miscuit, ea quae continenter Deum alloquebatur et jugi oraculorum meditatione mentem exercebat.“ Ita et Augustinus serm. 3. ad catech. (qui tamen dubius est) n. 4: „Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino J. Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus; per feminam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem, haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit et viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi; haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari.“ Ita et Tertullianus de carne Christi c. 17: „Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et

venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus aeterni. Muta ergo iniquae

---

similitudinem suam a diabolo captam *aemula operatione* recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis: in virginem aeque introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitae, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit haec credendo delevit.“ Et ante omnes Justinus in dial. cum Tryphone n. 100: „Et novimus per Virginem hominem factum esse, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem via etiam dissolutionem acciperet etc.“ Hoc idem praeclare docet infra Bernardus hac eadem hom. n. 13, et s. de duodecim praerog. n. 1. Cf. Chrysol. s. 142. Hinc 2.) Maria in reparationis ordine eum prope locum occupat, quem Eva in ordine lapsus et ruinae. Hoc docet hic Bernardus et infra n. 5. Hoc nitidissime significant syri, tum canunt auctore s. Ephraemo (Bibl. orient. T. 2. p. LVII. or. 1. n. 35): „Ambae sine noxa, ambae simplices, Maria et Eva: altera mortis causa fuit, vitae altera.“ Praeclariora vero sunt, quae habet s. 4. exegetico in selecta Scr. loca (opp. syr. lat. t. 2. p. 329): „Manifestum est Mariam fuisse ejus sideris (Salvatoris) januam, cujus praesentia spes nostra revixit, quando per illam mundum ejusque habitatores revisit lux, quam expulerat Eva omnium origo malorum. Et si mysterium utriusque nosse cupis, cogita corpus geminis praeditum oculis, quorum alter casu occoecatus lumen amisit, mira nitet alter luce, quam rebus omnibus etiam communicat. Mundum jam respicito, duos hic oculos

excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam de-

---

nactus est. Eva fuit oculus sinister, plane coecus, dexter ex adverso nitidissimus Maria. Ut laevo oculo lux occidit, simul universo orbi incubuit nox etc.“ Cum hoc syrorum splendidissimo lumine conspirant reliqui patres. Ita gloriosissimus martyr s. Irenaeus (l. 3. c. 22. n. 4): „Quemadmodum illa (Eva) . . . inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria . . . obediens et sibi et nostrae universo generi humano facta est causa salutis.“ Et paulo post: „Quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc solvit virgo Maria per fidem.“ Et jam tertio l. 5. c. 19: „Si ea (Eva) inobedierat Deo, sed haec suasa est obedire Deo, ut virginis Evae virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem aequa lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam etc.“ Justinus in dial. cum Tryph. n. 100; Auctor hom. 1. in annunt. B. M. V. Gregorio thaumaturgo adscriptae, qui ait: „In sola s. Virgine Evae lapsus reparatus est.“ S. Zeno veron. l. 1. tract. 2. n. 9: „Tu (o caritas) Evam in Maria redintegrasti; tu Adam in Christo renovasti.“ Auctor sermonis 45. inter ambrosianos n. 2: „Ergo malum per feminam, imo per feminam bonum, quia per Evam cecidimus, per Mariam stamus: per Evam prostrati, erecti per Mariam: per Evam servituti addicti, per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diuturnitatem, Maria nobis reddidit perpetuitatem: Eva damnari nos fecit per arboris pomum, Maria absolvit per arboris donum, quia et Christus in ligno pependit ut fructus.“ Severianus

disti mihi, dedit mihi de ligno vitae, et comedi: et dulce factum est super mel ori

---

gabalit. or. 6. de mundi creat. n. 10. Hinc 3) sicut Paulus Rom. 5, 14. affirmat Adamum fuisse *τύπον τοῦ μέλλοντος* formam futuri scl. Adami i. e. Christi, ita et Eva typus erat alterius praestantioris Evae i. e. Mariae, quod praeclare docet Epiphanius haer. 78. n. 18. scribens: „Haec (Maria) est, quam adumbravit Eva, quae viventium mater quodam aenigmatis involucro nuncupatur. Siquidem Eva tum viventium est appellata mater, cum jam illud audisset: *Terra es et in terram reverteris* (Gen. 3, 19), post admissum videlicet peccatum. Quod quidem admiratione dignum est, post illam offensionem tam praeclarum ei cognomen attributum. Ac si exteriora duntaxat et sensibus obvia consideres, ab hac eadem Eva totius est in terris humani generis origo deducta. Revera tamen a Maria virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat et viventium Maria sit mater. Quocirca viventium mater adumbrata similitudine Maria dicitur . . . Eva illa prior sapiens mulier Adamo, quem ipsa nudaverat, aspectabilia quaedam vestimenta contexuit: quippe hujusmodi labore est damnata . . . At Mariae divinitus illud obtigit, ut agnum nobis atque ovem pareret, cujus ex splendore ac gloria tamquam e vellere per ejusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter est confecta. Aliud praeterea in utraque, Eva scil. et Maria, considerari potest et quidem admiratione dignum: siquidem Eva generi hominum causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta; Maria vitae causam praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta.“ Sicut proinde 4) Eva jungitur Adamo

meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est angelus ad virginem. O

---

causae principi in ordine lapsus, ruinae, mortis, ita ex opposito in ordine reparationis et salutis sociatur mulier cum semine conterente serpentis caput (Gen. 3, 15), cum Emmanuele virgo (Is. 7, 14); radix cum flore (Is. 11, 1. secundum plurium patrum explicationem, quos cf. Passaglia l. c. sect. 5. c. 2.) femina cum viro (Jer. 31, 22), mater cum Jesu, qui salvum faciet populum suum (Matth. 1, 21), cum infante, quod lumen est ad revelationem gentium (ib. 2, 11) et gloria plebis Israel (Luc. 2, 16); mulier cum filio, qui coelitus fuit missus, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus (Gal. 4, 45); mulier sole amicta cum filio, qui recturus est omnes gentes in virga ferrea (Apoc. 12, 1 ss.). Hinc 5) *triplex* oboritur relatio seu respectus b. Virginis; a) relatio *oppositionis* ad Evam, unde fit ut Maria et Eva oppositis plane praedicatis describantur, ut patet ex testimoniis multis hac in annot. allatis, et hinc dum Eva maledicto subjicitur (Gen. 3, 16), *benedicta in mulieribus* Maria ab angelo salutatur (Luc. 1, 28). Cf. Passaglia de immacul. deiparae conceptu sect. 6. c. 2. a. 4. b) Relatio *concausae* (instrumentalis) cum Christo in reparationis opere (ut patet pariter ex testimoniis jam allatis. Cf. Pass. l. c. c. 4); unde fit, ut praeclarus idemque multiplex similitudinis atque consortii habitus inter Christum hominem et Mariam genitricem exsistat, et ea, quae Christo primario et ex sese competunt, Mariae secundum analogiam et ex filio in matrem redundantiam tribuantur (Cf. Pass. l. c. et c. 5. a 3), quae paucis complectitur Anselmus (or. 51): „O femina mirabiliter singularis et

admirandam et omni honore dignissimam Virginem! o feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

---

singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, daemones conculcantur, homines salvantur, angeli redintegrantur? O femina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic revirescet omnis creatura." Et iterum: „Deus, qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit, et sic omnia quae fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est pater rerum creatarum et Maria mater recreatarum; Deus est pater constitutionis omnium et Maria mater restitutionis omnium." Habitus denique c) *maternitatis* in ordine salutis respectu totius generis humani redempti, adeo ut ipsi excellentiori longe ratione nomen conveniat matris viventium quam Evae, ut jam Epiphanium audivimus docentem. Verum de hoc triplici habitu pluribus disputare hic non licet. Cf. Civilità cattolca a. 1869. vol. 8. p. 560 ss. Jam vero 6) triplex hic habitus, quo Maria constanter Evae in ordine opponitur lapsus, in reparationis opere sociatur Filio, nova et praestantior est Eva et vere viventium mater, sat clare ostendit, b. virginem Mariam ab Evae lapsu fuisse immunem et vel ab originibus illius vitae participem, quam peccando amisit Eva, restituit vero Dei Filius carofactus i. e. *Dei Genitricem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam propter ejus arctissimam cum Filio conjunctionem.*

4. *Missus est,* inquit, *angelus ad Virginem.* Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam (1. Cor. 7, 34.); nec noviter, nec fortuitu inventam, sed a seculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a patribus praesignatam, a prophetis promissam[1]). Scrutare Scripturas, et proba quae dico. Visne ut et ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem* (Gen. 3, 15.)? Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: *Ipsa conteret caput tuum.* Cui haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum.

---

[1]) Haec specialis Dei providentia de b. virgine Maria, quam hic paucis innuit s. Bernardus, plane decuit ejus dignitatem, ad quam ex gratuita Dei electione destinata fuit. Plura de ea habent scriptores graeci, quos cf. ap. Passaglia de immacul. Deiparae conceptu, sect. 6. c. 1. a. 3 ss.

5. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet* (Prov. 31, 10.)? Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans ajebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod est dicere: Si ita de manu feminae pendet et nostra omnium salus, et innocentiae restitutio, et de hoste victoria: fortis omnino necesse est ut provideatur[1]), quae ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quaesisse putetur desperando, subdit prophetando: *Procul et de ultimis finibus pretium ejus,* hoc est, non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; sed de coelo, nec de coelo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, sed a summo coelo egressio ejus. Quid deinde rubus ille quondam mosaïcus portendebat, flammas quidem emittens, sed non ardens (Exod. 3, 2.), nisi Mariam parientem, et dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida, nec humectata (Num. 17, 8.), nisi ipsam

---

[1]) Al. praevideatur.

concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni miraculi majus mysterium Isaias edisserit, dicens: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (11, 1); virgam, virginem; florem, virginis partum intelligens.

6. Sed si tibi quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur adversari sententiae, qua non virgae flore, sed floris fructu designari dicebatur; noveris in eadem aaronica virga (quae non solum floruit, sed et fronduit, et fructum emisit) non solum flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus eundem significari. Noveris et apud Moysen nec fructu virgae, nec flore, sed ipsa virga demonstrari; illa utique virga, qua feriente aqua vel dividitur transituris, vel de petra excutitur bibituris. Nullum autem inconveniens est, diversis rebus diversis ex causis Christum figurari; et in virga quidem potentiam, in flore vero fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem, in frondibus quoque sedulam ejus intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab aestu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum, qui eos afflixerunt. Bona et desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi

tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei, Domine Jesu, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas. In hoc tamen Isaiae testimonio, florem Filium, virgam intellige matrem: quoniam et virga floruit absque germine, et virgo concepit non ex homine. Nec virgae virorem floris laesit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.

7. Proferamus et alia Virgini matri, Deoque Filio congrua de Scripturis testimonia. Quid illud Gedeonis vellus (Jud. 6, 37.) significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur, et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detrimento virginitatis? Cui utique distillantibus coelis tota se infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus[1]), qui vere sine ipsa non aliud quam terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulcre satis convenire videtur, ubi legitur: *Descendet sicut pluvia in vellus*. Nam per hoc quod sequitur, *et sicut stillicidia stil-*

[1]) Al. acciperemus.

lantia super terram (Psal. 71, 6), idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia nempe voluntaria quam segregavit Deus hereditati suae, placide prius et absque strepitu operationis humanae, suo se quietissimo illapsu[1]) virgineum demisit in uterum: postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora praedicatorum, non jam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatae sunt nubes illae, quae portabant pluviam, praeceptum sibi fuisse cum mitterentur: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta* (Matth. 10, 27). Quod et fecerunt, etenim *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (Psal. 18, 5).

8. Audiamus et Jeremiam nova veteribus vaticinantem, et quem praesentem monstrare non poterat, venturum et ardenter desiderantem, et fidenter promittentem: *Novum*, inquit, *creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum* (Jer. 31, 22). Quae est haec femina? Quis vero iste vir? Aut

---

[1]) Al. elapsu.

si vir, quomodo a femina circumdatus? Aut si a femina circumdari potest, quomodo vir. Et ut apertius dicam, quomodo potest simul et vir esse, et in utero matris? hoc est enim virum a femina circumdari. Novimus[1]) viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam, atque juventutem transeuntes, ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt. Qui ergo jam adeo grandis est, quomodo a femina circumdari potest? si dixisset, Femina circumdabit infantem; vel, Femina circumdabit parvulum; nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale posuit, sed dixit virum, quaerimus quae sit haec novitas, quam Deus fecit in terra, ut femina circumdaret *virum*, et vir intra feminei unius corpusculi membra sese cohiberet? quid est hoc miraculi? *Numquid potest homo*, ut ait Nicodemus, *in ventrem matris suae iterato introire, et renasci* (Joann. 3, 4)?

9. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si forte inter plurima nova ac mira, quae ibi profecto inspicit qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam de propheta protuli, reperiam novitatem. Porro ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitu-

---

[1]) Al. Dicimus.

do subdita, profunditas plana[1]). Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari laetitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortidudinem infirmari. Sed, quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia laetificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Cui jam illud quoque non occurrat, quod quaerebam? Numquid non facile tibi est inter haec feminam agnoscere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum a Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum, non solum jam cum diceretur *vir propheta, potens in opere et sermone* (Luc. 24, 19), sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus, sed sapientia, non aetate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Ne-

---

[1]) Al. plena.

que enim minus habuit sapientiae, vel potius non minus[1]) fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero sive vagiens in praesepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectae aetatis docens in populo, aeque profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacunque aetate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiae et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiae et pietatis, spiritu timoris Domini (Isa. 11, 2).

10. Nec te moveat, quod de ipso legis in alio loco: *Jesus autem proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines* (Luc. 2, 52). Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet; sed quod accedere videretur, quando volebat ipse ubi[2])

---

[1]) Al. minor.
[2]) Al. ut.

videretur. Tu, homo, cum proficis, non quando nec quantum vis proficis: sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Jesus, qui disponit vitam[1]) tuam, ipse disponebat et suam, et quando volebat et quibus volebat sapiens apparebat, quando et quibus volebat, sapientior, quando et quibus volebat sapientissimus, quamquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet; pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostendebat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo, quia semper Jesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in utero, quem inibi Deum fuisse non ambigo? Minus quippe est esse virum, quam esse Deum.

11. Sed vide si non etiam hanc Jeremiae novitatem Isaias lucidissime aperit, qui et novos superius aaronicos flores exposuit. *Ecce*, inquit, *virgo concipiet*, *et pariet filium* (Isa. 7, 14). En habes feminam, scilicet Virginem. Vis et de viro audire quis sit?

---

[1]) *Vitam* deest al.

Et vocabitur, ait, *nomen ejus Emmanuel*, id est, *Nobiscum Deus*. Femina itaque circumdans virum, Virgo est concipiens Deum. Vides quam pulcre et concorditer sanctorum mira facta et mystica dicta sibi invicem concinant. Vides quam stupendum sit hoc unum de Virgine et in Virgine factum miraculum, quod tot miracula praevenerunt, tot oracula promiserunt. Unus nimirum fuit spiritus prophetarum: et licet diversis modis, signis et temporibus; eandem rem diversi non diverso spiritu et praeviderunt et praedixerunt. Quod Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaroni in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore; hoc aperte Salomon praedixit in forti muliere et ejus pretio; apertius Jeremias praecinuit de femina et viro, apertissime Isaias declaravit de Virgine et Deo, Gabriel tandem exhibuit ipsam Virginem[1]) salutando. Ipsa namque est, de qua nunc evangelista: *Missus est*, ait, *Angelus Gabriel a Deo ad Virginem, desponsatam Joseph*.

12. *Ad Virginem*, inquit, *desponsatam*. Quare desponsatam? Cum esset, inquam, virgo electa, et, ut ostensum est, virgo con-

---

[1]) *Virginem* deest aliis.

ceptura, virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit non nuptura. Numquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valde utilis et necessaria, et divini prorsus adinventione consilii digna[1]). Dicam

---

[1]) De ratione quare Christus voluerit nasci de virgine sed *desponsata*, disputat etiam infra Hieronymus n. 4. Plenissime vero hac de re disserit s. Thomas 3. p. q. 29. a. 1. Respondeo dicendum, inquit doctor, quod conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci: tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione. *Primo* quidem ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abjiceretur. Unde Ambrosius dicit super Lucam (l. 2. n. 2.): „Quid judaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti?" *Secundo*, ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur. Unde dicit Ambrosius super Lucam (l. 3. n. 4.): „Qui in seculum venit, seculi debuit more describi." Viri autem persona quaeritur, qui in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quae semper viri originem quaerit. *Tertio* ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procurasset. Et ideo Ignatius dicit ipsam fuisse desponsatam, ut partus ejus diabolo celaretur. *Quarto*, ut a Joseph nutriretur: unde et pater ejus dictus est, quasi nutritius. Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. *Primo* quidem, quia per hoc redditur immunis a poena, ne scilicet lapi-

quod mihi, imo quod ante me patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsatio-

---

daretur a judaeis, ut Hieronymus dicit (infra n. 4). *Secundo*, ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Ambrosius super Lucam (l. 2. n. 1.), quod desponsata est „ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre.“ *Tertio*, ut ei a Joseph ministerium exhiberetur, ut Hieronymus dicit (ib. et in Matth. 1). Ex parte etiam nostra hoc fuit conveniens. *Primo* quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est, Christum ex Virgine natum. Unde Ambrosius dicit super Lucam (l. 2. n. 2.): „Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui possit et delere injuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.“ (Hanc rationem proponit etiam Epiphanius haer. 78. n. 7.). *Secundo*, quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis. Unde Ambrosius dicit super Lucam (l. 2. n. 2.): „Fides Mariae verbis magis adsciscitur et mendacii causa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans: causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum conjugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.“ Quae quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostrae. *Tertio* ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam. Unde Ambrosius dicit (l. 2. in Luc. n. 1): „Non decuit virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur.“ *Quarto*, quia per hoc significatur universa Ecclesia, quae cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo, ut Au-

nis Mariae, quae et dubitationis Thomae. Mos siquidem judaeorum erat, ut a die desponsationis suae usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsae traderentur custodiendae: quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi ipsi fideliores exsisterent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicae confessor resurrectionis: ita et Joseph Mariam sibi desponsando, ejusque conversationem in tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Pulcra utriusque rei convenientia: et dubitatio Thomae, et desponsatio Mariae. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio firma sit certitudo. Nam et de Filii resurrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomae dubitanti et palpanti, quam Cephae audienti et credenti: et

---

gustinus dicit in l. de s. virginitate (c. 12). Potest etiam et *quinta* ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata et virgo: quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur contra haereticos alteri horum detrahentes. Hactenus Thomas.

de matris continentia facilius sponso ejus custodienti et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic, quaeso, quis eam videns non desponsatam et gravidam, non potius diceret meretricem[1]) quam virginem? Non autem decebat hoc dici de matre Domini. Tolerabilius vero atque honestius fuit, putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quam de fornicatione.

13. Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret, ut ejus nec ortus infamaretur, nec mater criminaretur? Poterat utique; sed non poterat latere daemones, quod scirent homines. Oportebat autem a principe mundi aliquamdiu celari divini consilii sacramentum: non quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quaecunque vóluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulcritudinem servare consuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrae videlicet reparationis, non tantum

---

[1]) Al. corruptam.

potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit.[1]) Et quamquam illud aliter, quo-

---

[1]) Ad h. l. haec scribit Mabillonius: Dei Filius nasciturus ex Virgine, cur eam desponsari voluerit, sacri doctores varias proferunt causas. Inter ceteras haec una praecipua est, ut mysterium nati Messiae diabolo celaretur. Ut enim Basilius hom. (dubia) de humana Christi generatione, et Damascenus l. 4. de fide c. 5. asserunt, daemon ex illo Is. 7, 14. testimonio: *Ecce virgo concipiet,* noverat Christum de virgine nasciturum. Eapropter diligentissime virgines observabat, ut ejus adventum agnosceret. Ut ergo Dominus illum eluderet et in sua astutia comprehenderet, elegit virginem viro desponsatam, ut partum non virginitati sed matrimonio adscriberet. Hanc causam reddit Ignatius ep. ad Ephes., Origenes h. 16. in Luc. et h. 1. in div. locos, Basilius l. c., Ambrosius in Lucam 1. (l. 2. n. 3.) et Hieronymus in Matth. 1. Sed hanc „rationem (dicit Maldonatus) malo libere fateri me non intelligere, quam temere reprehendere. Non, inquam, intelligo, quomodo diabolus Mariae virginitatem, si modo adverterit, potuerit ignorare, cum integrum et incorruptum corpus, quamvis nuptae, videre possit.“ Itaque ob doctorum auctoritatem causa haec declaranda est. Nec enim diffiteor, prima facie parum videri efficacem, cum daemon cognoscere facile possit virginitatem feminae et quid agatur inter conjuges. Et quidem certum est, Dominum voluisse adventum suum celare daemones, ne, dicit Ambrosius, impedirent mortem ejus, qua erat redempturus mundum. 1. Cor. 2, 8: *Nemo principum cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum*

modo vellet, perficere potuisset; placuit ei tamen eo potius et modo, et ordine hominem

---

gloriae crucifixissent. Deinde certum est etiam illud, daemonem subtilitate intellectus sui et acumine naturali potuisse cognoscere b. Virginem post partum mansisse virginem et incorruptam. „Nam si homini nota et manifesta esse potest feminae virginitas, multo magis daemoni. Deo tamen permittente et volente daemon non advertit. Cernens enim illam esse conjugatam cetera speculari contempsit, matrimonio omnem illi impediente suspicionem, crediditque partum esse ex viro, cui sciebat feminam esse desponsatam, sicque deceptus per desponsationem, non quod non posset virtute naturae suae daemon agnoscere virginitatem, sed quod investigare in conjugata non curaverit; eaque de causa non prius conceptio Christi annunciatur, quam Virgo esset viro desponsata. Daemon enim iis, quae recte et juste fiunt, parum intendit. Causa igitur a tot tantisque doctoribus tradita hac via et modo intelligenda est.“ Ita fere cardinalis Toletus in Luc. c. 1. Sed an haec ratio tuendi illam patrum sententiam lectori singula discutienti satisfaciat, nescio. Mihi quidem videtur non vacare scrupulo. Quis non statim replicet, justorum actiones multo studiosius observare diabolum, vel ut calumnietur juxta nomen suum, vel ut labem aspergat? Exemplum habemus in Job. Et quidem b. Virginis vitam et actiones diligentius observasse quis dubitet, eo quod illam desponsatam videret, quam ex voto perpetuae castitatis virum non debere cognoscere sciebat, num forte contra votum ageret? Itaque malim usurpare verba Maldonati paulo ante recitata. Hactenus Mabillonius.

sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut sicut diabolus prius seduxit feminam et postmodum virum per feminam vicit: ita prius a femina virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur: quatenus malitiae fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus et prudentior appareret, et fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solum attingeret a fine usque ad finem fortiter, sed et disponeret omnia suaviter (Sap. 8, 1). Attingit autem a fine usque ad finem, id est a coelo usque ad infernum. *Si ascendero*, inquit, *in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades* (Psal. 138, 8). Utrobique vero fortiter, quando et de supernis expulit superbum, et apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat, ut suaviter quoque omnia, coelestia scilicet et terrena, disponeret: quatenus et illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret; et hic debellaturus invidum, nobis prius suae humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiae, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis

manentibus superbis? Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiae parcitur, quam famae providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis et integra servatur fama Virginis matris. Alioquin quando pepercisset justus adulterae? scriptum est autem: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* (Matt. 1, 19). Bene, cum esset justus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam ream consensisset: sic nihilo minus justus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cum ergo justus esset, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

14. Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed patrum sententiam. Propter hoc Joseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat, dicens: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (Luc. 5, 8); propter quod et centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (Matt. 8, 8). Ita

ergo et Joseph indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit centurio praesentiae majestatem. Exhorruit nimirum et Joseph, sicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem: et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Joseph praegnantis sese consortio Virginis judicabat indignum, cum audias et sanctam Elisabeth ejus non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia? Ait namque: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (Luc. 1, 43)? Ideo itaque Joseph voluit dimittere eam. Sed quare occulte, et non palam? ne videlicet divortii causam inquireretur, exigeretur rationem. Quid enim vir justus responderet populo durae cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli et crudeles judaei subsannarent illum, lapidarent illam? Quando nam-

que Veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, qui postmodum impias manus injecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innóxiam, voluit occulte dimittere eam.

15. Sin vero aliter quis sentiat, et Joseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, et ideo voluerit occulte dimittere eam: breviter respondeo, etiam sic dubitationem illam Joseph fuisse necessariam, quae divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est: *Haec autem eo cogitante*, scilicet quod occulte dimitteret eam, *apparuit ei angelus in somnis, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (Matt. 1, 20). Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Joseph, vel potius, sicut ponit evangelista, *viro, cui nomen erat Joseph.* Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, juxta alium evangelistam, non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est,

merito apellatur quod necessarie putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso evangelista: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph* (Luc. 3, 23). Nec vir ergo matris, nec filii pater exstitit, quamvis certa (ut dictum est) et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit, et putatus.

16. Conjice tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus, et creditus sit: conjice, et ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubitas interpretari) quis et qualis homo fuerit iste Joseph. Simul et memento magni illius quondam patriarchae venditi in Aegypto: et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam. Siquidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus et ductus in Aegyptum, Christi venditionem praefiguravit: iste Joseph herodianam invidiam fugiens, Christum in Aegyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominae noluit commisceri: iste dominam suam, domini sui matrem,

virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem coelestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum e coelo servandum accepit tam sibi, quam toti mundo. Non est dubium quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suae matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem sibi fidelissimum. Huc accedit, quod dicitur fuisse de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tamquam alteri David incerta et occulta sapientiae suae manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus seculi agnovit: cui denique da-

tum est quod multi reges et prophetae, cum vellent videre, non viderunt; audire, et non audierunt; non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire. Non tantum autem Joseph, sed et Maria descendisse credenda est de domo David. Alioquin non fuisset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David: sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David, altero tamen conscio et teste adimpletae promissionis.

17. In fine autem versus, *Et nomen*, inquit, *Virginis Maria.* Loquamur pauca et super hoc nomine, quod interpretatum *maris stella* dicitur, et matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui laesione virgo parturit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor et praefulget in supernis, et inferos penetrat: terras etiam perlustrans et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est

praeclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis; respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, judicii horrore perterritus, baratro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso; cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde: et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis: et sic in temetipso experiris, quam

merito dictum sit: Et *nomen Virginis Maria*. Sed jam modice pausandum est, ne et nos in transitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis apostolicis utar, *Bonum est nos hic esse* (Matt. 17, 4): et libet dulciter contemplari in silentio, quod laboriosa non sufficit explicare locutio. Interim autem ex devota scintillantis sideris contemplatione ferventior reparabitur in his, quae sequuntur, disputatio.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS,

HOMILIA III.

1. Libenter, ubi mihi congruere video, verba sanctorum assumo, quo vel vasculorum pulcritudine gratiora fiant quaecunque in eis lectori apposuerim. Ut autem nunc a propheticis verbis incipiam: Vae mihi, non quidem sicut prophetae, quia tacui, sed quia locutus sum, quoniam vir pollutus labiis ego sum (Isa. 6, 5). Heu quot vana, quot falsa, quot turpia per hoc ipsum spurcissimum os meum evomuisse me recolo, in quo nunc coelestia revolvere verba praesumo! Vehementer timeo, ne jamjam audiam ad me dictum: *Quare tu enarras justitias meas*,

et assumis testamentum meum per os tuum (Psal. 49, 16)? Utinam et mihi de superno altari, non quidem carbo unus, sed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam et inveteratam prurientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat! quatenus angeli ad Virginem, et Virginis ad ipsum grata invicem ac casta colloquia dignus habear meo qualicunque replicare sermone. Ait igitur evangelista: *Et ingressus Angelus ad eam*, haud dubium quin ad Mariam, *dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28). Quo ingressus ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem suum in abscondito. Solent angeli adstare orantibus, et delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariae autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, angelus indicavit, qui ingressus ad eam, tam reverenter salutavit. Nec fuit difficile angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiae suae hoc habet in natura, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quocunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus

parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta aeque corpora, quantumlibet solida vel spissa, penetrabilia sunt eis ac pervia. Suspicandum igitur non est, quod apertum invenerit angelus ostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus.

2. Ingressus ergo angelus ad eam dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Legimus in Actibus Apostolorum, et Stephanum plenum gratia, et apostolos fuisse repletos Spiritu sancto; sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria nec illi conceperunt de Spiritu sancto quomodo Maria. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Quid mirum si gratia plena erat, cum qua Dominus erat[1]). Sed hoc potius miran-

[1]) Sublimissimam fuisse Virginis dignitatem, qua est Dei mater, unanimes patres docent, ut supra vidimus (annot. ad Procli orat. 2. n. 2.). Tantae porro

dum, quomodo qui angelum miserat ad Virginem, ab angelo inventus est esse cum Virgine.

---

divinitus concessae dignitati proportione gratiae respondisse plenitudinem iidem affirmant, quorum doctrinam ad haec Bernardi verba illustranda ad quaedam revocabimus capita. Hoc 1) per se patere audivimus docentem Basilium seleuciensem (supra annot. cit.). Hoc 2) non una ratione probat Thomas. Illud siquidem infert (3. p. q. 27. a. 4.) ex principio indubio, Deum „illos, quos ad aliquid eligit, ita praeparare et disponere, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei,“ de qua praeparatione et dispositione, quod Virginem spectat, praeclara leguntur apud veteres (cf. Passaglia de immac. V. conc. s. 6. c. 1. a. 3. n. 1187—1253). Illud deinde hoc modo confirmat (ib. a. 5): „Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii . . . Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter . . . b. autem virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem accipere.“ Sane 3) hanc gratiae plenitudinem in Christi matre honor exigebat Patris, cujus filia Maria κατ᾽ ἐξοχήν salutatur; exigebat Filii honor, quem nonnisi ex matre sanctissima decuit prodire, ut Bernardus supra h. 2. n. 1. docet et ante ipsum Jacobus sarugensis, cognomento *doctor*, Batnarum in Mesopotamia episcopus (sec. 6.) serm. 1. de s. V. Dei genitrice M. (ap. Assemani t. 1. bibl. or.) n. 21: „Si qua macula aut defectus animae ejus inesset, aliam utique sibi ma-

Itane velocior angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse praeveniret ad

---

trem quaesivisset, quae omnis labis expers foret.“ Exigit honor Spiritus s., cujus singularis et electa sponsa praedicatur sanctissima virgo (cf. Pass. l. c. n. 1333 ss. coll. n. 1164 ss.). Cum ergo 4) ss. Trinitatis honor tantam exposceret Virginis ornatum atque dotem, concludunt majores nostri (app. Pass. n. 1171 ss.), tantum quoque fuisse gratiarum plenitudinem Mariae, ut digna esset, quae fieret mater Dei. „Nullum dicendi finem facerem, testatur Ballerini (Sylloge T. 2. p. 154. annot. ed. Paris.), si exscribere heic vellem quaecunque ad manum habeo testimonia ss. patrum affirmantium pulchritudine sua Mariam effecisse, ut Deus velut attractus in eam descenderet carnem assumpturus.“ Hunc in sensum explicant illa Ps. 44, 12: *Concupiscet rex decorem tuum* (quae in verba cf. Pass. l. c. n. 778 ss.). Merito proinde 5) ab angelo salutari potuit: *Ave, gratia plena* (Luc. 1, 28), quorum verborum vim ita exponit Thomas (opusc. 3. edit. venet. t. 8): B. Virgo excessit angelos . . . in plenitudine gratiae, quae magis est in b. Virgine quam in aliquo angelo, et ideo ad insinuandum hoc, angelus ei reverentiam exhibuit, dicens: *Gratia plena*, quasi diceret: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae. Dicitur autem b. Virgo plena gratia quantum ad tria. *Primo* quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia datur ad duo, scil. ad bonum operandum et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit b. Virgo: nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Chri-

terras? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem

---

stum . . . Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam . . . et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum . . . sed b. Virgo in exemplum omnium virtutum . . . Sic ergo plena est gratia b. Virgo et quantum ad mali vitationem. *Secundo* plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod sanctificet animam, sed anima b. Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ea conciperet Filium Dei . . . *Tertio* quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum, et hoc est in Christo et in b. Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ipsa ab Virgine gloriosa . . . item in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium . . . Sic ergo plena est gratia et excedit angelos in plenitudine gratiae.“ Patrum in salutationem angelicam commentaria (quae cf. ap. Pass. l. c. n. 1093 ss.) paucis complectitur Pius IX. in bulla „Ineffabilis Deus“, cum secundum illos docet: „Hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatis exornatam, imo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spi-

suum, et ascendit in conspectu gloriae ejus fumus aromatis, et invenit gratiam coram

---

ritu audire meruerit; *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42)." „Quid sanctitatis, inquit Petrus Damiani s. 46, quid justitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? Sic namque ab angelo dum salutaretur audivit: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quod, rogo, vitium in ejus mente vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae ad instar coeli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium?" Hinc 6) Epiphanius haer. 58. n. 24. eam dicit *secundum omnia gratia plenam;* Joannes geometra (s. in deip. annunc.) *solam totam factam domicilium gratiarum universarum s. Spiritus,* et *omnium charismatum coelestium ac miraculorum mare indeficiens;* Epiphanius junior (or. de virg. laud. Mig. patrot. gr. 43, 490.) ejus gratiam *immensam;* auctor hom. in Christi nativ. (inter opp. Chrys.) *interminabilem;* Albertus M. (biblioth. marian. n. 177.) *summam.* Secundum Gregorium thaumaturgum (si ipsius est hom. 1. in annunc. Mig. 10, 1150): „Cum ipsa totus gratiae thesaurus reconditus erat . . . Vere enim arca est ss. Virgo intrinsecus deaurata, quae universum sanctificationis thesaurum suscepit." „Integram gratiarum abyssum in te reconditam esse agnoscimus" profitetur Joannes Euchaita (in can. Deip. od. 1. ap. Mig. patrol. gr. 29, CCCLIV). Quod ut 7) significantius exprimerent majores nostri, axioma receptum penes illos erat: „Aliis ad mensuram gratiam dari, hanc autem gratia plenam dici (Bruno astensis com.

oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: *Quae et ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhae et thuris* (Cant. 3, 6)? Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam (Psal. 18, 6); et licet a summo coelo egressio ejus, nimio tamen pervolans desiderio praevenit suum nuncium ad Virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat.

---

in Luc. § 3)." „Bene plena, inquit auctor ep. de assumpt. b. M. V. (inter op. Hieron. Mig. 30, 127) n. 5, quia ceteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae" et sic dictus sapiens idiota (in contempl. de V. M.) c. 2: „Quodcunque donum alicui sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Nemo aequalis est tibi, nemo major te nisi Deus." Cf. infra auct. de concept. B. V. n. 11. Merito proinde Pius IX. in bulla cit. affirmat: „Concors eorundem (patrum et scriptorum ecclesiasticorum) est sententia gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex ac digna Dei mater exstiterit et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae quam proxime accedens qua humanis qua angelicis praeconiis celsior evaserit." Cf. Suarez D. 4. de myst.

Quem prospiciens a longe venientem gratulans et exsultans ait Ecclesia: *Ecce venit is saliens in montibus, transsiliens colles* (Cant. 2, 8).

3. Merito autem concupivit Rex decorem Virginis. Fecerat enim quidquid longe antea praemonita fuerat a patre suo David, dicente sibi: *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Et si hoc feceris, *concupiscet rex decorem tuum* (Psal. 44, 11). Audivit quippe et vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, et videntes non intelligunt: sed audivit et credidit, vidit et intellexit. Et inclinavit aurem suam ad obedientiam, et cor suum ad disciplinam, et oblita est populum suum, et domum patris sui: quia nec populum suum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curavit heredem; sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Nec fefellit eam intentio, quando et Christum sibi filium vindicavit, nec propositum pudicitiae violavit. Bene igitur gratia plena, quae et virginitatis gratiam tenuit, et insuper fecunditatis gloriam acquisivit.

4. *Ave*, inquit, *gratia plena*, *Dominus tecum*. Non dixit: Dominus in te, sed *Dominus tecum*. Deus enim qui ubique aequaliter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis, quam in ceteris; et ipsarum aliter in bonis, quam in malis est per efficaciam. Ita sane est in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed a bonis tantum capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiae subdunt, ut Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt: per hoc quod ab ejus voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt. Sed cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria: cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret; ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, et totus Virginis esset; nec duo filii, sed unus utriusque filius. Ait itaque, *Ave gratia plena*, *Dominus tecum*. Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne

tua induis: sed et Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis: et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. Dominus ergo tecum.

5. *Benedicta tu in mulieribus.* Libet adjungere quod Elisabeth, cujus haec verba sunt, prosecuta subjunxit: *Et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42). Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructrus ventris tui: sed quia ille te praevenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictae sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum ceteris, etsi differentius a ceteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus; ille vero benedictus non in hominibus, non inter angelos, sed, *qui est*, ut ait Apostolus, *super omnia benedictus Deus in secula* (Rom. 9, 5). Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur: sed sin-

gulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit super omnia benedictus Deus in secula.

6. Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat qui dicebat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (Gen. 27, 27). An non vere benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore hujus fructus quidam qui[1]) gustaverat, taliter eructabat, dicens: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (Psal. 33, 9); et alibi: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te* (Psal. 30, 20)! Et alius quidam: *Si tamen*, inquit, *gustastis, quoniam dulcis est Dominus* (1. Pet. 2, 3). Et ipse fructus de se, invitans nos ad se: *Qui edit me*, ait, *adhuc esuriet; et qui bibit me, adhuc sitiet* (Eccli. 24, 29). Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium et sitientium justitiam et esca et potus est. Audisti de odore, audisti de sapore: audi et de specie. Si enim fructus ille

---

[1]) Al. quod.

mortis non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura. delectabilis aspectu: quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem, teste alia Scriptura, desiderant etiam angeli prospicere (1. Petr. 1, 12)? Cujus pulcritudinem in spiritu videbat, et in corpore videre cupiebat, qui dicebat: *Ex Sion species decoris ejus* (Psal. 49, 2). Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio psalmo legis: *Speciosus forma prae filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum* (Psal. 44, 3).

7. *Benedictus ergo fructus ventris tui*, cui benedixit Deus in aeternum: ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus; quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quae illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est: *In tristitia paries filios* (Gen. 3, 16); et nihilo minus illam, qua secutum est: *Maledicta sterilis in Israel* (Exod. 23, 26): ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, et grave jugum super omnes filias Evae! Et si parturiunt, cruciantur: et si non partu-

riunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, et non parere maledictio. Quid facies, Virgo, quae haec audis, quae haec legis? Si parturis, angustiaris: si sterilis manes, malediceris. Quid eliges, Virgo prudens? Angustiae, inquit, mihi sunt undique: melius est tamen mihi maledictum incurrere, et castam manere, quam prius quidem concipere per concupiscentiam, quod merito post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum sed non peccatum: illinc vero et peccatum simul et cruciatum. Denique haec maledictio quid aliud est, quam hominum exprobratio? Neque ob aliud sane dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio et contemptui sit habenda, tamquam inutilis et infructuosa, et hoc in Israel tantum. Mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo. O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quae lex, quae justitia, quae pagina veteris testamenti vel praecipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata Virgo, *Sapientia carnis mors est* (Rom. 8, 6), et, *Curam carnis ne perfeceritis in desiderio* (Rom. 13, 14)? Ubi legeras de vir-

ginibus, quia *cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, et sequuntur Agnum quocunque ierit* (Apoc. 14, 4)? Ubi legeras, laudatos esse, *qui se castraverunt propter regnum coelorum* (Matt. 19, 12)? Ubi legeras: *In carne enim ambulantes: non secundum carnem militamus* (2. Cor. 10, 3), et: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit* (1. Cor. 7, 38)? Ubi audieras: *Volo vos omnes esse sicut et meipsum?* et: *Bonum est homini, si sic permaneat secundum meum consilium? De virginibus,* inquit, *praeceptum non habeo, consilium autem do* (1. Cor. 7, 25). Tu vero non dicam praeceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod unctio docebat te de omnibus; ac Sermo Dei vivus et efficax, ante tibi factus magister quam filius, prius instruxerit mentem, quam induerit carnem. Christo ergo devoves te exhibere virginem; et nescis quod ipsi exhiberi te oporteat etiam matrem. Eligis in Israel esse contemptibilis, et ut illi placeas, cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis: et ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fecunditate recompensatur.

8. Aperi Virgo sinum, expande gremium,

praepara uterum: quia ecce facturus est tibi magna qui potens est, in tantum ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens Virgo, fecunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato. Gravida eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia: nescies virum, et gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater, cujus Deus est pater. Filius paternae claritatis[1]) erit corona tuae castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, et de Deo concipies. Confortare ergo Virgo fecunda, casta puerpera, mater intacta: quia non eris in Israel ultra maledicta, neque inter steriles deputata. Et si adhuc malediceris ab Israel secundum carnem, non quia sterilem vident, sed quia fecundam invident: memento quod et Christus maledictum pertulit crucis, qui te suam matrem benedixit in coelis: sed et in terris ab angelo benedicta, et a cunctis generationibus terrae merito beata praedicaris. Benedicta ergo tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

9. *Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista*

---

[1]) Al. caritatis, al. majestatis.

salutatio. Solent virgines, quae verae virgines sunt, semper pavidae, et nunquam esse securae; et ut caveant timida, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere angelice inter homines, et in terris more coelestium conversari, et in carne caelibem agere vitam. Ac proinde quidquid novum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se aestimant machinatum. Idcirco et Maria turbata est in sermone angeli. Turbata est, sed non perturbata. *Turbatus sum,* inquit, *et non sum locutus;* sed *cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui* (Psal. 76, 5). Ita ergo et Maria turbata est, et non est locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Quod turbata est verecundiae fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit et cogitavit, prudentiae. *Cogitabat autem qualis esset ista salutatio.* Sciebat prudens virgo, quod saepe angelus satanae transfigurat se in angelum lucis: et quia nimirum humilis et simplex erat, nihil tale penitus a sancto angelo sperabat: et ideo cogitabat, qualis esset ista salutatio.

10. Tunc angelus intuitus Virginem, et varias eam secum volvere cogitationes fa-

cillime deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, benigne ne timeat persuadet. *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti gratiam apud Deum*. Nihil hic doli, nihil hic fallaciae est. Nullam circumventionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo, sed spiritus; et Dei angelus, non satanae. *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum*. O si scires, quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat! angelico te indignam, nec alloquio judicares, nec obsequio. Ut quid enim indebitam tibi dixeris gratiam angelorum, quae invenisti gratiam apud Deum? Invenisti quod quaerebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitae reparationem. Haec est ergo gratia, quam invenisti apud Deum. Et hoc tibi signum: *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum*. Intellige, prudens Virgo, ex nomine filii promissi, quantam et quam specialem gratiam inveneris apud Deum. *Et vocabis*, ait, *nomen ejus Jesum*. Rationem hujus vocabuli alius evangelista ponit, angelo sic interpretante: *Ipse enim salvum*

faciet populum suum a peccatis eorum (Matth. 1, 21).

11. Duos Jesus lego in typo hujus, quem nunc in manibus habemus praecessisse, ambos populis praefuisse: quorum unus populum suum de Babylone eduxit, alter suum in terram promissionis introduxit. Et illi quidem illos, quibus praeerant, ab hostibus defendebant; sed numquid salvabant a peccatis eorum? Is autem noster Jesus et a peccatis salvat populum suum, et introduxit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Utinam et me peccatorem dignetur Dominus Jesus annumerare populo suo, ut salvum me faciat a peccatis meis! Vere enim beatus populus, cujus iste Jesus Dominus Deus ejus, quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo ejus, quos tamen ipse non habeat pro populo suo: vereor ne plerisque, qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Matth. 15, 8). Novit enim Dominus Jesus qui sunt ejus; novit et quos elegit a principio. *Quid me vocatis*, ait, *Do-*

mine, Domine, et non facitis quae dico (Luc. 6, 46)? Vis scire an pertineas ad populum ejus, vel potius vis esse de populo ejus? Fac quae dicit Jesus; et computabit te in populo suo. Fac quae jubet in Evangelio Dominus Jesus, quae jubet in lege et prophetis, quae jubet per ministros suos qui sunt in Ecclesia: obtempera ejus vicariis praepositis tuis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis; et disce ab ipso Jesu, quia mitis est et humilis corde: et eris de beato populo ejus quem elegit in hereditatem sibi; eris de laudabili populo ejus, quem Dominus exercituum benedixit, dicens: *Opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel* (Isa. 19, 25), cui, ne forte Israel carnalem aemuleris, etiam testimonium perhibet dicens: *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* (Psal. 17, 45).

12. Sed audiamus, quid idem angelus sentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen. Ait namque: *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Bene magnus, qui *Filius Altissimi* merebitur appellari. Annon magnus, *cujus magnitudinis non est finis* (Ps. 144, 3)? Et *quis magnus*, ait, *sicut Deus noster* (Psal. 112, 5)? Plane magnus,

qui tam magnus, quam Altissimus, quia et ipse Altissimus. Neque enim Altissimi Filius rapinam arbitrabitur esse se aequalem Altissimo. Ille merito arbitrandus est cogitasse rapinam, qui cum de nihilo in angelicam formam factus fuisset, factori suo se comparans, usurpavit sibi quod Filii Altissimi proprium est, qui utique in forma Dei a Deo non factus, sed genitus est. Altissimus enim Deus Pater, quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel aequalem sibi condere creaturam, vel inaequalem gignere filium. Fecit itaque angelum magnum, sed non quantus ipse: et ideo nec altissimum. Solum autem Unigenitum, quem non fecit, sed genuit Omnipotens omnipotentem, Altissimus altissimum, Aeternus coaeternum; ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam aestimat, nec injuriam. Recte ergo hic erit magnus, qui Filius Altissimi vocabitur.

13. Sed quare hic erit, et non potius est magnus, qui semper aequaliter magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus sit, quam ante vel sit, vel fuerit? An forte propterea dixerit, *erit*, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit? Bene ergo, *Hic erit magnus*. Magnus homo, magnus doctor, magnus propheta. Sic enim di-

citur de eo in Evangelio: *Quia propheta magnus surrexit in nobis* (Luc. 7, 16). Et a minori quodam propheta magnus itidem propheta venturus promittitur: *Ecce,* inquit, *veniet propheta magnus, et ipse renovabit Jerusalem.* Et tu quidem, o Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis: sed videns parvulum, cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu regum, adeo ut adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei. Magnificet ergo et anima tua Dominum, quia *hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Magnus erit, et magna faciet tibi qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quod enim sanctius nomen, quam quod *Filius Altissimi vocabitur?* Magnificetur et a nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. *Parvulus,* ait, *natus est nobis, et filius datus est nobis* (Isa. 9, 6). Nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multo nobilius natus ex Patre, nasci temporabiliter non indigebat ex matre. Non angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis et datus, quia nobis necessarius.

14. Jam de nobis nato et dato faciamus

ad quod natus est et datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus, parvulis[1]) desideratus! O vere parvulus, sed malitia, non sapientia! Studeamus effici sicut parvulus iste; discamus ab ipso, quia mitis est et humilis corde: ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus ejus humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine ejus. Ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris; quoniam ad hoc ipse natus et datus est nobis. Ipsum oculis Patris, ipsum offeramus et suis, quia et Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, et ipse Filius semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Ipse tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit, ut non perirent (Isa. 53, 12). Non possunt perire pro quibus Filius rogat, ne pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut vivant. Aequaliter ergo ab utroque

---

[1]) Al. parvulus.

speranda est venia, quibus aequalis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, una in deitate substantia, in qua unus cum eis Spiritus sanctus vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS,

HOMILIA IV.

1. Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; et rursum, cum Filium honoramus, a gloria Matris non recedimus. Nam si juxta Salomonem, *Filius sapiens gloria est patris* (Prov. 10, 1); quanto magis gloriosum est matrem ipsius effici Sapientiae? Sed quid ego tento in ejus laudibus, quam laudabilem praedicant prophetae, perhibet angelus, narrat evangelista? Non ergo laudo, quia non audeo; sed tantum replico devotus, quod jam explicavit per os evangelistae Spiritus sanctus. Sequitur namque, et ait: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui.* Verba sunt angeli ad Virginem de promisso Filio, promittentis, quod debeat possidere regnum David. Quod de stirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quaero autem,

quomodo dederit ei Deus sedem David patris sui, cum ipse in Jerusalem non regnaverit, quin imó turbis eum volentibus constituere regem, non acquieverit, sed et ante faciem Pilati protestatus sit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Joan. 18, 36). Denique quid magnum promittitur ei, qui sedet super Cherubim, quem propheta vidit sedentem super solium excelsum et elevatum (Isa. 6, 1), sedere in throno David patris sui? Sed novimus quandam aliam Jerusalem ab ea, quae nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hic fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo saepe reperis in Scripturis significans poni pro significato. Tunc sane dedit illi Deus sedem David patris sui, quando constitutus est rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Sed hic propheta de quo regno dixerit, expressius aperuisse videtur, in eo quod non in Sion posuit, sed super Sion. Nam ideo fortassis dictum est, *super*, quia in Sion quidem regnavit David: super Sion vero regnum est illius, de quo dictum est ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Psal. 131, 11). De quo et dictum est per alium prophetam: *Super solium*

David, et super regnum ejus sedebit (Isa. 9, 7). Vides quia ubique reperis, *super? Super Sion, super sedem, super solium, super regnum.* Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed aeternam; non terrenam, sed coelestem. Quae idcirco (ut jam dictum est) memoratur fuisse David, quia haec, in qua temporaliter sedit, aeternae illius gerebat imaginem.

2. *Et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Hic quoque si domum Jacob temporalem accipimus, quomodo in illa, quae aeterna non est, in aeternum regnaturus est? Quaerenda est ergo domus aeterna Jacob, in qua regnet in aeternum, cujus regni non erit finis. Annon denique domus illa Jacob exasperans impie abnegavit eum, et insipienter respuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente, *Regem vestrum crucifigam?* uno ore respondendo clamavit: *Non habemus regem nisi Caesarem* (Joan. 19, 15)? Require itaque Apostolum, et discernet tibi eum qui in occulto judaeus est, ab illo qui in manifesto: et quae in spiritu est circumcisio, ab ea quae fit in carne; spiritualem Israel a carnali, et filios fidei Abrahae a filiis carnis. *Non enim,* inquit, *omnes*

qui ex Israel, hi sunt Israelitae: neque qui semen sunt Abrahae, hi filii (Rom. 9, 6). Sequere ergo et dic: Similiter non omnes qui ex Jacob, hi reputandi sunt in domo Jacob. Jacob quippe ipse est qui Israel. Solos igitur qui in fide Jacob perfecti inveniendi sunt, reputa in domo Jacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem et aeternam domum Jacob, in qua regnabit Dominus Jesus in aeternum. Quis ex nobis est, qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis et concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Jesus, et nunc quidem per gratiam, et in aeternum per gloriam? Beati in quibus Jesus regnabit in aeternum, quia et ipsi cum eo regnabunt, et regni hujus non erit finis. O quam gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet et glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum et Dominus dominantium: de cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. O si et mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo et Patri, visitare

dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad laetandum in laetitia gentis suae, ut laudetur etiam a me cum hereditate sua! Veni interim Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, et vindicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit: Ego regnabo: ambitio, detractio, invidia et iracundia certant in meipso de meipso, cujus ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto; renitor quantum juvor. Dominum meum Jesum reclamo; ipsi me defendo; quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo et dico: Non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, et regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

3. *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Primo quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio; malens nimirum humiliter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. Jam vero confortata et bene praemeditata

angelo quidem foris loquente, sed Deo intus persuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente angelo, *Dominus tecum*): ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, laetitia verecundiam, dixit ad angelum: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Non dubitat de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quaerit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum[1]) esse ancillae suae non cognoscere

---

[1]) B. Virginem virginitatis votum emisisse non unus Bernardus ex hoc responso infert. Infert Augustinus de virginit. c. 4: „Ipsa quoque virginitas ejus (Mariae) ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipsi praeripuit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quae sibi fetum annuncianti angelo Maria reddidit: *Quomodo*, inquit, *fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quamquam etiamsi hoc solum dixisset, *Quomodo fiet istud?* nec addidisset: *quoniam virum non cognosco*, non quaesissit utique promissum sibi filium quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat et juberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo acci-

virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? si opportuerit me frangere votum,

---

peret: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quae prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc, quid esset conceptura, nesciret, ut in terreno mortalique corpore coelestis vitae imitatio voto fieret, non praecepto; amore eligendi, non necessitate serviendi.“ Et iterum s. 225. al. 53. de div. n. 2: „Si cognoscere disponeret, non miraretur. Illa admiratio propositi est testificatio.“ Ita auctor serm. in natalem Domini (inter dubios s. Gregorii Nysseni): „Si ad nuptiale opus assumpta fuisset (Maria) a Joseph, quinam ad angeli vocem futurum partum praenunciantis velut ad rem novam attonita fuisset, cum hoc exspectaret ipsa, ut ex naturae lege mater esset? Sed quia consecratam Deo carnem tamquam unum aliquod e sacris donariis, illibatam servari oportebat, idcirco sic ait: Quamvis angelus sis, quamvis e coelo venias et quod apparet supra captum hominum sit, tamen impossibile est, hominem me cognoscere. Quomodo mater ero sine viri consortio? Nam Josephum sponsum quidem novi, virum autem non agnosco.“ Ita Beda in Luc. c. 1; Bernardus iterum infra in s. de 12 praerogativis b. M. V. n. 9; fuse admodum Sophronius s. in Deiparae annunc. n. 32—36; Jacobus monachus in Deip. annunc. n. 14 ss. et Joannes Geometra in Deip. annunc. n. 15, ubi ita haec verba enarrat: „Nam et quod forte virum cognoscere ipsa possim, id contingere omnino nequit, quippe voti religione Deo consecrata sum: quod vere quaepiam concipere ac parere sine viri consortio queat, id ex aequo in-

ut pariam talem filium; et gaudeo de filio, et doleo de proposito: fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placuerit ei, impossibile non erit; tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillae suae. *Quomodo ergo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Superius dicta est fuisse *gratia plena:* et nunc quomodo dicitur, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Numquid potuit repleri gratia, et necdum habere Spiritum sanctum, cum

---

ter impossibilia reponendum. Porro quod addidit, *quoniam virum non cognosco*, id prorsus etiam ad Josephum referebat, quippe quae nuptiarum cum ipso jura solum usque ad sponsalia noverat, seque, utpote donarium Deo sacrum ac propterea tangi nefas, a viri consuetudine integram non solum in praesens, sed in perpetuum servare decreverat. Atque ita plane fidem illi quoque traditioni faciebat, quae ad nos devenit a patribus, Virginem non modo nuptiarum usum, sed ne desiderium quidem ejusdem novisse. Nullum, inquit, viri desiderium novi, nulla mihi carnis voluntas est. Quod quidem vel ex omni feminco sexu singulare illi fuit, quoniam et prae omnibus et ex proposito voluntatis hisce inquinamentis inaccessae, castitas in ea refulsit.“ Quibus omnibus nihil est addendum, ut legitimae illationis percipiatur vis.

ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tamquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, *veniet in te*, sed addidit *super*, quia et prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nunciatur, propter abundantioris gratiae plenitudinem, quam effusurus est super illam? At vero cum plena jam sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo et ante plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia ejus tantum repleverat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debet: quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quae ante in illa, sicut et in multis sanctorum, spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?

4. Ait itaque: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid est, *et virtus Altissimi obumbrabit?* Qui potest capere, capiat. Quis enim, excepta fortassis illa, quae hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit; et ut illa inaccessibilem accedere ad

se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis, cui se animatae contemperavit, reliquae massae umbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maxime dictum est, *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo: *Spiritus sanctus superveniet in te*, qui utique sua potentia fecundabit te. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus et Dei sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi. Ac si angelus respondeat ad Virginem: Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Scies, scies, et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi a donante: nec potest addisci nisi a suscipiente. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod est dicere: (Quoniam non de homine[1]), sed de Spiritu sancto

[1]) Al. Quoniam non est de homine, sed de Spiritu sancto, quod concipies.

concipies, concipies autem Altissimi virtutem, hoc est Filium Dei: *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, id est, non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id, quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum et is, qui a Patre est ante secula genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius. Sic autem et quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, et quod nascetur ex te, erit ejus; ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque erit Filius.

5. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Attende quaeso, quam reverenter dixerit, *quod nascetur ex te Sanctum.* Ut quid enim ita simpliciter *Sanctum*, et absque additamento? Credo quia non habuit, quid proprie digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans; quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite,

Sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem.

6. Et adjecit angelus: *Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Quid fuit necesse etiam hujus sterilis Virgini nunciare conceptum? Numquid forte dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus et Zachariae incredulitatem ab hoc ipso angelo fuisse castigatam: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potius fidem ipsius Elisabeth prophetante laudatam agnovimus. *Beata*, inquit, *quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino* (Luc. 1, 45). Sed ideo sterilis cognatae conceptus Virgini nunciatur, ut dum miraculo miraculum additur, gaudium gaudio cumuletur. Porro necesse erat non modico laetitiae et amoris praeveniente inflammari incendio, quae Filium paternae dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis et alacritatis affluentia. Vel ideo conceptus Elisabeth nunciatur Mariae, quia profecto dece-

bat, ut verbum mox divulgandum ubique, prius sciret Virgo per angelum, quam audiret ab homine: ne mater videlicet Dei a consiliis Filii videretur amota, si eorum quae in terris tam prope gererentur, remansisset ignara. Vel ideo potius conceptus Elisabeth Mariae nunciatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc praecursoris edocetur adventum, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac praedicatoribus Evangelii reseraret veritatem, quae et plene de omnibus a principio coelitus fuerit instructa mysteriis. Vel ideo adhuc nunciatur Mariae conceptus Elisabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio: sicque illa properante ad visitandum, parvulo prophetae locus et occasio detur, quo minori adhuc Domino suo officii valeat exhibere primitias: et dum ad se invicem occurrit matrum infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo.

7. Vide autem ne haec tam magnifica, quae ab angelo audis praenunciata, ab ipso speres perficienda. A quo ergo si quaeris, ipsum audi angelum. *Quia non erit*, inquit, *impossibile apud Deum omne verbum*, tamquam diceret: Haec quae ego tam fideliter

promitto, non de mea, sed de illius qui me misit, virtute praesumo: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in Verbo? Movet me et hoc in verbis angelicis, quod signanter non ait: *Quia non erit impossibile apud Deum omne* factum, sed *omne verbum.* An idcirco posuit verbum, quia quam facile possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt; tam facile, imo incomparabiliter facilius valet Deus opere implere, quidquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertius. Si hominibus tam facile esset facere quam dicere quod volunt: et ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris et vetus sermo est, multum interesse inter loqui et facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle; merito non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia: Potuerunt praevidere et praedicere prophetae Virginem vel sterilem concepturam ac parituram: sed numquid facere, ut conciperet et pareret? Deus autem qui dedit eis posse praevidere, quam facile potuit tunc quod voluit, per illos

praedicere, tam facile potuit nunc quando voluit per seipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum a verbo, quia virtus est: nec modus a facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum.

8. Audisti Virgo factum, audisti et modum: utrumque mirum, utrumque jucundum. Jucundare, filia Sion, et exsulta satis, filia Jerusalem (Zach. 9, 9). Et quoniam auditui tuo datum est gaudium et laetitia, audiamus et nos a te responsum laetitiae, quod desideramus, ut jam exsultent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum, et credidisti: crede et de modo, quod audisti. Audisti quia concipies, et paries filium: audisti quod non per hominem, sed per Spiritum sanctum. Exspectat angelus responsum: tempus est enim ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Exspectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrae: statim liberabimur, si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur; in tua brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum

misera sobole sua exsul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc ceteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum: in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi clamet e coelo: O pulcra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Numquid non hoc est quod quaerebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es, cui hoc promissum est, an aliam exspectamus? Imo tu ipsa, non alia. Tu inquam, illa promissa, illa exspectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat

aeternam, cum dicebat: *Exspectabo salutare tuum, Domine* (Gen. 49, 18). In qua denique, et per quam Deus ipse Rex noster ante secula disposuit operari salutem in medio terrae. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? quid per aliam exspectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo praebeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citius angelo, imo per angelum Domino. Responde verbum, et suscipe Verbum: profer tuum, et concipe divinum: emitte transitorium, et amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere et suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc, ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, praesumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quaerere, quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem.

9. *Ecce,* inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Semper solet

esse gratiae divinae familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiae praeparetur. *Ecce,* inquit, *ancilla Domini.* Quae est haec tam sublimis humilitas, quae cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione: magna prorsus et rara virtus, humilitas honorata. Si me miserum homuncionem meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocrem honorem provexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter mea, vel propter subditorum peccata permittente: nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum? Credo famae[1]), conscientiam non attendo; et reputans non honorem virtutibus sed virtutes honori, eo sanctiorem, quo superiorem me aestimo. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos: subito intumescere pristinae oblivisci abjectionis: genus

---

[1]) Al. sane.

quoque suum erubescere, et infimos dedignari parentes. Videas et homines pecuniosos[1]) ad honores quosque ecclesiasticos pervolare; moxque sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione, non mentium; et dignos se aestimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt; quodque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis. Omitto autem de his, quos excaecat ambitio, et honor ipse superbiendi eis materia est.

10. Sed video (quod magis doleo) post spretam seculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque Magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in seculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt: ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. Video et alios (quod non sine dolore videri debet) post aggressam Christi militiam, rursus secula-

---

[1]) Al. perniciosos.

ribus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi: cum magna cura erigere muros, et negligere mores: sub praetextu quoque communis utilitatis, verba vendere divitibus, et matronis salutationes: sed et contra Imperatoris sui edictum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere; non audientes Apostolum ex imperio Regis tubicinantem: *Hoc ipsum*, inquit, *delictum est in vobis, quod causas habetis. Quare non magis fraudem patimini* (1. Cor.6, 7)? Itane mundum sibi, et se mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerunt, modo circumeuntes provincias, et curias frequentantes, regum notitias principumque familiaritates assecuti sint? Quid de ipso habitu dicam, in quo jam non calor, sed color requiritur; magisque cultui vestium, quam virtutum insistitur? Pudet dicere! vincuntur in suo studio mulierculae, quando a monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem forma religionis retenta, in habitu ornari, non armari appetunt milites Christi: qui dum se praeparare ad proelium, et contra aëreas potestates praetendere paupertatis insigne debuerant (quod utique adversarii valde formidant), in mollitie vestimentorum pacis potius praeferen-

tes indicium, ultro se hostibus sine sanguine, tradunt inermes. Nec aliunde haec omnia mala contingunt, nisi quod illam, qua seculum deseruimus, deserentes humilitatem, dum per hoc cogimur inepta denuo sectari studia secularium, canes efficimur revertentes ad vomitum.

11. Audiamus itaque, quotquot tales sumus, quid illa responderit, quae Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur. *Ecce*, ait, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Fiat* est desiderii signum, non dubitationis indicium. Et per hoc quod dicit, *fiat mihi secundum verbum tuum*, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quam effectum requirere more dubitantis. Quamquam nil obstat intelligi, *fiat*, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit et sperat. Vult autem a se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa, quae dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet a nobis: et dum nos praevenit tribuendo quod retribuat, gratis agit, ne gratis tribuat. Hoc utique pru-

dens Virgo intellexit, quando praevenienti se muneri gratuitae promissionis, junxit meritum suae orationis: *Fiat*, inquiens, *mihi secundum verbum tuum.* Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat obsecro mihi Verbum, non prolatum quod transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aëre. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed et visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum et mutum, sed incarnatum et vivum: hoc est, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum; sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum: et hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porro multifariam multisque modis olim Deus locutus est patribus in prophetis: et aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autem oro, ut in utero fiat juxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamatorie praedicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatorie somniatum; sed si-

lenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Verbum igitur, quod in se nec poterat fieri, nec indigebat; dignetur in me, dignetur et mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum.

Excusatio S. BERNARDI, quod locum istum Evangelii post alios expositores tractandum sumpserit.

Lectionem evangelicam exposui, sicut potui: nec ignoro quod non omnibus placebit, sed scio me ob hanc rem multorum fore indignationi obnoxium; et aut judicabor superfluus, aut praesumptor: quod videlicet post patres, qui hunc ipsum locum plenissime exposuerunt, rursus in eodem novus expositor ausus fuerim mittere manum. Sed si quid dictum est post patres, quod non sit contra patres; nec patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere. Ubi autem dixi quod a patribus accepi, dum sic absit typhus praesumptionis, ut non desit fructus devotionis, patienter audiam de superfluitate causantes. Noverint tamen qui me tamquam

de otiosa et non necessaria explanatione suggillant, non tam intendisse exponere Evangelium, quam ex Evangelio sumere occasionem loquendi quod loqui delectabat. Si vero peccavi, quod propriam magis ex hoc excitarim devotionem, quam communem quaesierim utilitatem; potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecunque opusculum devotissime destinavi.

SERMO
S. BERNARDI ABBATIS

DE DUODECIM PRAEROGATIVIS B. VIRGINIS MARIAE

ex verbis Apocalypsis (12, 1.):

Signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

(Dominica infra octavam assumptionis B. V. Mariae).

---

1. Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere: sed, gratias Deo, per unum nihilo minus virum, et mulierem unam omnia restaurantur; nec sine magno fenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni aestimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus et clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam

transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus; siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane et praepotens mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et judicium (Ps. 100, 1); quia etsi didicit ex his, quae passus est, compassionem, ut misericors fieret, habet tamen et judicariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est (Deut. 4, 24). Quidni vereatur peccator accedere, ne, quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei?

2. Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quae salutis

antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis: illa suggessit praevaricationem, haec ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicae historiae seriem universam: et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cetero suspectam habeas, et accedere verearis. Quod si (ut vere sunt) plena magis omnia pietatis et gratiae, plena mansuetudinis et misericordiae, quae ad eam pertinent inveneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima caritate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus laetitiam; denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus.

3. Putasne ipsa est sole amicta mulier? Esto siquidem, ut de praesenti Ecclesia id intelligendum propheticae visionis series ipsa demonstret; sed id plane non inconvenienter Mariae videtur attribuendum. Nimirum ea est, quae velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque praeterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam et defectus omnis sub ea: et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate prae ceteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbimur, ut sit luna ista sub pedibus ejus, quam super omnes angelorum choros, super cherubim quoque et seraphim exaltatam nefas est dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, sed et stultitiam mentis, nonnunquam vero et Ecclesiam hujus temporis designare; illam quidem propter mutabilitatem, hanc sane propter susceptum aliunde splendorem. Utraque vero (ut ita dixerim) luna sub Mariae pedibus congrue satis poni-

tur, alio tamen atque alio modo, siquidem *stultus ut luna mutatur; sapiens autem permanet ut sol* (Eccli. 27, 12). In sole nimirum et fervor et splendor stabilis; in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui nunquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne prophetae labia purgantur, illo igne seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tamquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari.

4. Insipientia vero omnis longe sub pedibus ejus est, ut penitus absit haec ab insipientium mulierum numero et collegio virginum fatuarum. Imo vero et unicus ille

stultus et totius stultitiae princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariae pedibus conculcatus et contritus, miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier (Gen. 3, 15), serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem[1]. Alius non de substantia carnis suae Christum edidisse dogmatizabat: alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius, vel post partum, viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud

[1] Similia habet etiam Rupertus l. 1. in Cantica: „Quia sicut ante nos dictum est, tu es sola Virgo, quae universam haereticam pravitatem interemisti," quod et Ecclesia approbavit canens: „Gaude Maria virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo." „Potest autem, inquit Suarez encomii hujus sensum explicans (de Mysteriis vitae Christi disp. 19. s. 1), hoc specialiter attribui b. Virgini, vel quia generando eum, qui est *lux vera, quae illuminat omnem hominem* (Joan. 1, 9), omnes errorum tenebras fugaverit: vel quia singulari modo cunctis fidei defensoribus ac doctoribus opitulatur, vel quia singulari modo fuit fidei magistra, et quia ipsos etiam apostolos docuerit, quorum doctrina omnes haereses interimuntur."

nomen Theotocos impiissime suggillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique et continuo per Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quod inimicitiae essent inter semen mulieris et draconis.

5. Jam si Ecclesia lunae magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat, sed ab eo qui dicit: *Sine me nihil potestis facere* (Johan. 15, 5): habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendavimus, evidenter expressam. *Mulier*, inquit, *amicta sole, et luna sub pedibus ejus* (Apoc. 12, 1). Amplectamur Mariae vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis: potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream, mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis et mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem ad-

miraris, Moyses sancte, et curiosius desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. *Vado*, inquit, *et videbo visionem hanc magnam* (Exod. 3, 3). Magna plane visio, rubus ardens sine combustione; magnum signum, mulier illaesa manens amicta sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilo minus incombustum: non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humanae, sed nec angelicae quidem: sublimior quaedam necessaria est. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te.* Et tamquam responderet illa: Quoniam spiritus est Deus, et Deus noster ignis consumens est; *Virtus*, ait, non mea, non tua, sed *Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. 1, 35). Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam a muliere sustineatur amictus.

6. *Mulier*, inquit, *amicta sole.* Plane amicta lumine tamquam vestimento. Non percipit forte carnalis: nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat: *Induimini Dominum Jesum Christum* (Rom. 13, 14). Quam familiaris ei facta es Domina! quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam in-

venisti gratiam apud eum! In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae majestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum (Jer. 31, 22), nec alium quam Christum, de quo dicitur: *Ecce vir*, *Oriens nomen ejus* (Zach. 6, 12). Novum quoque fecit in coelo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua (Cant. 3, 11). Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, et videte reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus.

7. *In capite ejus,* inquit, *corona stellarum duodecim* (Apoc. 12, 1). Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium (Eccli. 50,8). Nimirum laeva sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas aestimet gemmas? Quis stellas nominet quibus Mariae regium diadema compactum est?

Supra hominem est coronae hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostrae exiguitatis, abstinentes a periculoso scrutinio secretorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas, duodecim praerogativas gratiarum intelligere videamur[1]), quibus Maria singulariter adornatur. Si quidem invenire est in Maria praerogativas coeli, praerogativas carnis, praerogativas cordis: et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus reginae nostrae diadema praefulgeat universis. Mihi sane singularis rutilat fulgor, primo quidem in Mariae generatione, secundo in angelica salutatione, tertio in Spiritus superventione, quarto in Filii Dei inenarrabili conceptione. Sic et in his quoque sidereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria[2]), quod sine corruptione fecunda, quod sine gravamine gravida, quod sine dolore puerpera. Nihilo minus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas cre-

---

[1]) Al. valeamus.

[2]) *Primiceria* i. e. agminis virginei prima, quae ceteras praeivit exemplo, omnes antecellit puritate.

dulitatis, martyrium cordis. Vestrae quidem sedulitatis erit singula quaeque diligentius intueri. Nos interim satisfecisse videbimur, si breviter ea potuerimus demonstrare.

8. Quid ergo sidereum micat in generatione Mariae? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahae, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quod longe ante eisdem patribus coelitus repromissa; quod mysticis praefigurata miraculis; quod oraculis praenunciata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit (Num. 17, 8); hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccae areae maduit (Judic. 6, 37); hanc in Ezechielis visione orientalis porta, quae nulli unquam patuit, praesignabat (Ezech. 44, 1)[1]. Hanc denique

---

[1]) Bernardo assentiunt alii patres ut Dionysius alexandrinus (ep. c. Paulum samosat.); Ambrosius ep. 42., quae est synodica ad Siricium Papam; de instit. virg. c. 8. Georgius nicomediensis or. in oraculum concept. Deip. ap. Combefisium Auctar. 1, 998; Modestus encom. in Deip.; Graeci passim in suis euchologiis et menaeis, armeni pariter et copti (ap. Pass. de immac. conc. sect. 3. n. 521 ss.); Jacobus monachus in Deip, praesentat. n. 9; Hieronymus ep. 48. n. 21; l.

prae ceteris Isaias nunc virgam de radice Jesse orituram promittebat (Isai. 11, 1); nunc evidentius virginem parituram. Merito signum hoc magnum in coelo apparuisse scribitur, quod tanto ante de coelo noscitur fuisse promissum. *Dominus*, ait, *ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet* (Isa. 7, 14). Magnum profecto signum[1]) dedit, quia

---

2. dial. adv. pelag. n. 4. Hinc antiquus auctor (ap. Ballerini in sylloge).,

Hoc signat aedis janua non patens,
Quam celsa vatis visio prodidit,
Soli tremendo pervia Principi,
Mansura nempe clausa perenniter.

[1]) Atqui, advertunt patres, nullum signum foret, si Maria non incolumi manente virginitate Dei Filium concepisset. Promissa ergo praedictaque censeri debet hoc vaticinio b. Mariae in conceptu partuque virginitas. Ita Origenes adv. Celsum l. 1. n. 35: „Equod autem signum est parere puellam non virginem? et cui magis convenit genuisse Emmanuelem i. e. nobiscum Deum, num mulieri, quae virum experta solito feminarum more conceperit, an mundae adhuc et intactae virgini?“ Similia habent Tertullianus adv. jud. c. 9., Irenaeus l. 3. c. 21; Chrysostomus h. 5. in Matth. n. 3: „Nisi virgo fuisset illa, quae paritura erat, et si ex connubii lege id futurum erat, quod tandem signum id fuisset? Signum enim rerum communem ordinem debet excedere, atque omnino inexpectatum et insolitum esse, alioquin quomodo signum esset?“ Epi-

et magnus ipse qui dedit. Hujus ergo praerogativae fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo quod tam reverenter atque officiosissime ab archangelo salutata est, ut jam tunc in regali solio supra omnes coelestium ordines legionum exaltatam cernere videretur, et paulo minus adoraturus feminam, qui solebat ab hominibus hactenus aequanimiter adorari; excellentissimum nobis Virginis nostrae meritum, et singularis gratia commendatur.

9. Nihilo minus fulget etiam novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum ceterae omnes, sed superveniente Spiritu sancto, sola, et de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quod verum Deum et Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis Filius, unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis: nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. De cetero sane et virginitatem carnis et propositum virginitatis, maxime et

---

phanius haer. 28. n. 7; Rufinus (syrus) in lib. fidei n. 42. (Mig. 48, 479); Basilius (si ejus est commentarius in Is.) in h. l. et hom. (quae inter ejus dubias reperitur) in s. gener. Christi n. 4.; Theodor. in h. l.

ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quod videlicet in libertate spiritus legis mosaicae decreta transscendens, illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium angelo respondit: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco* (Luc. 1, 34). Forte enim propterea primo turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam sese audisset in mulieribus, quae nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat qualis esset ista salutatio[1], quod jam videretur esse suspecta. Ubi vero in promissione filii manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare quin diceret: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Merito proinde et illam meruit benedictionem, et hanc non amisit; ut longe gloriosior fiat et virginitas ex fecunditate, et ex virginitate fecunditas, ac mutuis sese radiis illustrare haec duo sidera videantur. Magnum enim est virginem esse: sed virginem matrem esse, longe amplius per omnem mo-

[1]) Al. benedictio.

dum. Jure etiam illud molestissimum taedium, quo reliquae omnes gravidae mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quae sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in ipso suae conceptionis initio, quando potissimum ceterae mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit Bethleem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur. Sic et in partu quam lucidum est quod nova exsultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres a communi maledicto et dolore parturientium aliena. Si rerum pretia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri. Si quidem in omnibus istis nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos, si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.

10. Ceterum quae restant adhuc, et imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multifarie multisque modis promitti divinitus, coelitus praenunciari: sed nec ab archangelo Gabriele tam novae salutationis obsequiis honorari. Minus autem cetera duo communicat nobis: plane secretum

suum sibi. Sola enim est, de qua dicitur: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (Matth. 1, 20): sola cui dicitur; *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35). Offerantur regi virgines, sed post eam: nam primatum sola vindicat sibi. Multo magis autem sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum a nobis exigitur, sed exigitur plane nonnihil. Numquid enim, si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis, negligentiam nostram munerum singularitas excusabit? Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An vero quis putat, quod hac caruerit gratia, quae gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi praesumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quaerens loqui Filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut habitationem irrupit, in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum (si bene meminimus) non nisi quater Maria loquens auditur. Primo quidem ad angelum, sed cum jam semel atque iterum allocutus eam fuisset: secundo ad Elisabeth, quando

vox salutationis ejus Johannem exsultare fecit in utero, et ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit: tertio ad Filium, cum jam esset annorum duodecim, quod ipsa et pater ejus dolentes quaesissent eum; quarto in nuptiis ad Filium et ministros. Et is quidem sermo certissimus index ingenitae mansuetudinis et virginalis verecundiae fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sane increpata est[1]) a Filio: tamquam

---

[1]) *Increpata est*, non quod esset reprehensione digna, sed ut pateret ejus virtus, humilitas in primis, mansuetudo et fides ut Bernardus ipse hic insinuat. Ea ratione proinde increpata fuit, qua illa mulier chananaea, cui Christus dixit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*, quam tamen deinde magno illo encomio celebravit: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis* (Matth. 15, 26 ss.). Hinc advertit Bernardus s. 1. dominica prima post octav. Epiph. n. 2: „Durior fortasse et austerior videri posset responsio Domini: sed noverat cui loqueretur et quis loqueretur, ille non ignorabat." Hinc illa increpatione non tam b. Virginem quam nos docere voluit, ut idem s. doctor s. 2. n. 5. advertit: „Ut quid ergo, fratres, ut quid sic respondebat prius? Utique propter nos, ut conversos ad Dominum jam non solicitet carnalium cura parentum et necessitudines illae non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores

mitis et humilis corde, nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens facere quod diceret eis.

11. Numquid non ab initio venisse pastores, et primam omnium Mariam invenisse leguntur? *Invenerunt*, ait evangelista, *Mariam et Joseph, et infantem positum in praesepio* (Luc. 2, 16). Sic et magi quoque, si recolis, non sine Maria matre ejus puerum invenerunt, et inducens in templum Domini templi Dominum, multa quidem a Simeone audivit tam de eo, quam de seipsa, ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* (Luc. 2, 19): sed in his omnibus neque de ipso incarnationis dominicae sacramento quodcumque verbum fecisse reperies. Vae nobis, qui spiritum habemus in naribus? Vae qui totum proferimus spiritum, qui juxta illud comici[1]), pleni rimarum effluimus undique. Toties denique Maria filium audivit, non modo turbis

nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus . . . Optime ergo nos docuit Dominus, ne solliciti simus super propinquis carnis nostrae plus quam religio postulet, quando ipsi matri et tali matri respondit: *Quid mihi et tibi est, mulier?*"

[1]) *Comici* i. e. Terentii in Eunucho, I. 2, 25.

loquentem in parabolis, sed et discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit exspirantem, vidit resurgentem, vidit et ascendentem: sed in his omnibus quoties verecundissimae virginis, quoties pudicissimae turturis vox memoratur audita? Denique legis in Actibus Apostolorum, quod redeuntes a monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione. Qui? Si forte Maria adfuit, nominetur prima, quae supra omnes est, tam Filii praerogativa, quam suae privilegio sanctitatis. *Petrus et Andreas*, ait, *Jacobus et Johannes*, et ceteri qui sequuntur. *Hi omnes perseverabant unanimiter cum mulieribus, et Maria matre Jesu* (1, 14). Itane et mulierum sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Vere carnales adhuc discipuli, quibus necdum Spiritus erat datus, quia Jesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu: cum Maria, quanto major erat, humiliaret se non modo in omnibus, sed et prae omnibus. Merito facta est novissima prima, quae cum prima esset omnium sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quae se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super angelos exal-

tata est, quae et infra viduas et poenitentes, infra eam de qua ejecta fuerant septem daemonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, aemulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis: si contenditis ei placere, aemulamini modestiam ejus. Nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum christiano maximeque monachum nihil adeo decet.

12. Et quidem manifesta satis in Virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collactaneae sunt humilitas et mansuetudo, in eo confoederatae germanius, qui dicebat: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11, 29). Sicut enim mater praesumptionis elatio, sic mansuetudo vera nonnisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tamen Mariae taciturnitate commendatur humilitas, sed evidentius resonat in sermone. Audierat: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35): et nihil aliud, quam ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elisabeth, et continuo Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelatur. Denique et mirabatur personam venientis, dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Commendabat et vocem salu-

tantis, adjiciens: *Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.* Et beatificabat fidem credentis: *Beata,* inquiens, *quae credidisti, quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi a Domino.* Magna quidem praeconia: sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini: sed *magnificat anima mea Dominum.* In voce mea filium perhibes exsultasse in gaudio; sed *exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (Luc. 1, 47): et ipse quoque, tamquam amicus sponsi, gaudio gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis, quae credidisset: sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernae pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicant omnes generationes,* quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus.

13. Verumtamen numquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per Spiritum utique loquebatur, errasse? Absit. Beata plane quam respexit Deus, et beata quae credidit. Hic enim magnus divinae respectionis exstitit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus supervenientis tantae hu-

militati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit, ut (quemadmodum de integritate et fecunditate praediximus) hae quoque nihilo minus fiant stellae ex respectu mutuo clariores, quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: sed cum in sua aestimatione tam humilis esset, nihilo minus et in promissionis credulitate magnanimis; ut quae nihil aliud quam exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, ad admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiae praerogativa divinae, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maxime provehatur humilitas: ut inveniantur eo amplius timorati, et largitori munerum non ingrati; ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat: sed quo minus de sua quisque vel in minimis praesumere consuevit, eo amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.

14. Martyrium sane Virginis (quam nimirum inter stellas diadematis ejus, si meministis, duodecimam nominavimus) tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa dominicae passionis historia commendatur. *Positus est hic*, ait sanctus senex de parvulo Jesu, *in signum cui contradicetur: et tuam ipsius animam* (ad Mariam autem dicebat) *pertransibit gladius* (Luc. 2, 34). Vere tuam, o beata Mater, animam gladius pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus (omnium quidem, sed specialiter tuus), ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat: sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus.

15. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus: *Mulier, ecce filius tuus* (Johan. 19, 26)? O commutationem! Johannes tibi

pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro; filius Zebedaei pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero! Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret haec auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? Non miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent (Rom. 1, 31). Longe id fuit a Mariae visceribus, longe id sit etiam a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum praescierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fidenter. Super haec doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud caritas, qua majorem nemo habuit: fecit et hoc caritas, cui post illam similis altera non fuit. Jam te, Mater misericordiae, per ipsum sincerissimae tuae mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus luna[1]), mediatricem sibi apud

[1]) *Luna* i. e. Ecclesia.

solem justitiae constitutam devotis supplicationibus interpellat: ut in lumine tuo videat lumen, et solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit prae omnibus et ornavit, stola gloriae induens, et coronam pulcritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore coelesti, innixa super dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina; ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahae tantum, sed et camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua: quia tu vere puella es praeelecta et praeparata Altissimi Filio, qui est super omnia Deus benedictus in secula, amen.

IN NATIVITATE B. V. MARIAE

SERMO.

De aquaeductu.

1. Fecundae Virginis amplectitur coelum praesentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic recordatio invenitur: ibi satietas, hic tenuis quaedam libatio primitiarum: ibi res, et hic nomen. *Domine*, inquit, *nomen tuum in aeternum et memoriale tuum in generatio-*

nem et generationem (Psal. 101,13). Generatio et generatio, non angelorum profecto sed hominum est. Vis scire quia nomen et memoriale ejus in nobis est, praesentia in excelso? *Sic orabitis*, inquit: *Pater noster qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum* (Matt. 6, 9). Fidelis oratio, cujus ipsa primordia et divinae adoptionis et terrenae peregrinationis admoneant: ut hoc scientes, quod quamdiu non sumus in coelo, peregrinamur a Domino, gemamus intra nosmetipsos, adoptionem filiorum exspectantes, praesentiam utique Patris. Signanter proinde et de Christo propheta loquitur, dicens: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus: in umbra ejus vivemus inter gentes* (Thren. 4, 20). Nam inter coelestes quidem beatitudines non in umbra vivitur, sed potius in splendore. *In splendoribus sanctorum*, inquit, *ex utero ante luciferum genui te* (Psal. 109, 3). Verum id quidem Pater.

2. At mater sane eundem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra, nonnisi ea tamen, qua obumbravit Altissimus. Merito proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia sanctorum, quae in excelsis et in splendore est, sed quae interim peregrinatur in terris: *Sub umbra ejus quem desideraveram*

sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo (Cant. 2, 3). Lucem quippe meridianam, ubi pascit sponsus, sibi petierat indicari: sed repressa est, et pro plenitudine luminis umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait, sub umbra ejus quam desideraveram, sed, *sub umbra ejus quem desideraveram sedi*. Neque enim ipsius expetierat umbram, sed ipsum profecto meridiem, lumen plenum de lumine pleno. *Et fructus ejus*, ait, *dulcis gutturi meo:* acsi dicat, *gustui meo*. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Quousque manet illa sententia: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (Psal. 33, 9)? Et quidem suavis gustui, et dulcis gutturi, ut merito etiam super hoc sponsa proruperit in vocem gratiarum actionis et laudis.

3. Sed quando dicetur: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi* (Cant. 5, 1)? *Justi epulentur*, ait propheta, sed *in conspectu Dei* (Psal. 67, 4), utique non in umbra. Et de seipso: *Satiabor*, ait, *cum apparuerit gloria tua* (Psal. 16, 15). Sed et Dominus ad apostolos ait: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater*

meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam (Luc. 22, 28). Sed ubi? *in regno meo*, inquit. Beatus plane qui manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaque nomen tuum, per quod utrumque interim in nobis es, Domine, per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. Adveniat regnum tuum. Veniat utique quod perfectum est, et evacuetur quod est ex parte. *Habetis*, ait Apostolus, *fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam* (Rom. 6, 22). Vita aeterna, fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi, nec modo irrigat, sed inebriat, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano: et fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Quis vero fons vitae, nisi Christus Dominus? *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Coloss. 3, 4). Sane ipsa sese plenitudo exinanivit, ut fieret nobis justitia, et sanctificatio, et remissio; necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatae sunt aquae, licet non bibat alienus ex eis (Prov. 5, 16). Descendit per aquaeductum vena illa coelestis,

non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiae arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis minus. Plenus equidem aquaeductus, ut accipiant ceteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam.

4. Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, si non prout est, saltem prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit: *Ave gratia plena.* An vero inveniri potuisse miramur, unde talis ac tantus fieret aquaeductus, cujus nimirum summitas, instar profecto scalae illius quam vidit patriarcha Jacob, coelos tangeret, imo et transcenderet coelos, et vividissimum istum aquarum, quae super coelos sunt, posset attingere fontem? Mirabatur et Salomon, et velut desperanti similis ajebat: *Mulierem fortem quis inveniet* (Prov. 31, 10)? Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiae defuerunt, quod necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquaeductus. Nec mirabere diutius exspectatum, si recordaris, quot annis Noë, vir justus, in arcae fabrica laborarit, in qua paucae, id est octo animae, salvae factae sunt, idque satis ad modicum tempus.

5. Sed quomodo noster hic aquaeductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? sicut scriptum est: *Oratio justi penetrat coelos* (Eccli. 35, 21). Et quis justus, si non Maria justa, de qua Sol justitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit majestatem, nisi pulsando, petendo, quaerendo? Denique et quod quaerebat invenit, cui dictum est: *Invenisti gratiam apud Deum*. Quid? Plena est gratia, et gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quaerit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed, quemadmodum scriptum est: *Qui bibit me, adhuc sitiet* (Eccli.24,29); petit supereffluentiam ad salutem universitatis. *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te*, et pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. Ita est: jam sentimus, jam exhilarantur facies nostrae in oleo. Jam clamamus: *Oleum effusum nomen tuum* (Cant. 1, 2), et memoriale tuum in generationem et generationem. Verum id quidem non in vanum: et si oleum effunditur, sed non perit. Propterea siquidem adolescentulae, parvulae scilicet animae,

sponsum diligunt, idque non parum; et unguentum descendens de capite, non modo barba, sed et ipsa vestimenti ora suscepit.

6. Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium Sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit (Jud. 6, 37): redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Ut quid hoc? Forte ut excusaretur Eva per filiam, et querela viri adversus feminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultra, o Adam: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito* (Gen. 3, 12): dic potius: Mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. Piissimum sane consilium; sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Verum id quidem, sed parum est (ni fallor) desideriis vestris. Dulcedo lactis est; elicietur forte, si fortius premimus, et pinguedo butyri. Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant et effluant aromata

ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi: quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimae tenebrae relinquuntur?

7. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam [1]). Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso maje-

---

[1]) Hoc pariter affirmat s. 3. in vigil. nativ. Domini n. 10: „Quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariae, ut per illam acciperes quidquid haberes.“

statem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. *Invenisti*, ait angelus, *gratiam apud Deum* (Luc. 1, 30). Feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur.

8. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus: quia quod quaerit, invenit, et frustrari non potest. Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Num gratiae est quod hic sumus? Profecto misericordiae

Domini est, quod non sumus consumpti nos. Qui nos? Nos perjuri, nos adulteri, nos homicidae, nos raptores, purgamenta utique mundi hujus. Consulite conscientias vestras, fratres, et videte, quia ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Maria non praetendit meritum, sed gratiam quaerit. Denique usque adeo fidit gratiae, et non altum sapit, ut salutationem angelicam vereatur. *Maria*, inquit, *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur: Unde hoc mihi, ut veniat angelus Domini mei ad me? Ne timeas Maria, ne mireris angelum venientem: et major angelo venit. Ne mireris angelum Domini: et Dominus angeli tecum. Postremo quidni videas angelum, cum jam angelice vivas? Quidni visitet angelus vitae sociam? Quidni salutet civem sanctorum, et domesticam Dei? Angelica plane vita virginitas: et qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei.

9. Videsne quod et hoc nihilo minus modo aquaeductus noster ascendit ad fontem; nec sola jam oratione coelos penetrat, sed etiam incorruptione, quae proximum Deo facit, sicut Sapiens ait (Sap. 6, 20)? Erat enim virgo

sancta corpore et spiritu, cui specialiter esset dicere: *Conversatio nostra in coelis est* (Philip. 3, 20). Sancta, inquam, corpore et spiritu, ne quid forsitan super hoc dubites aquaeductu. Sublimis equidem valde, sed nihilo minus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons signatus, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Nec enim est fatua virgo, cui non modo oleum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascensiones in corde suo disposuit, conversatione pariter (sicuti jam diximus) et oratione ascendens. Denique abiit in montana cum festinatione, et salutavit Elisabeth, et in ministerio ejus erat quasi mensibus tribus, ut jam tunc posset dicere matri mater, quod tanto post filio dixit Filius: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Matt. 3, 15). Plane montana conscendens, cujus justitia sicut montes Dei. Tertius enim hic ascensus Virginis fuit, ut funiculus triplex difficile rumperetur. Fervebat siquidem in quaerenda gratia caritas, splendebat in carne virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Etenim si omnis qui se humiliat exaltabitur, quid hac humilitate sublimius? Venisse eam mirabatur Elisabeth, et dicebat: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (Luc.1,43)?

Sed jam magis miretur, quod instar utique Filii et ipsa non ministrari venerit, sed ministrare. Merito proinde cantor ille divinus in ipsius admiratione praecinens, aiebat: *Quae est ista quae ascendit sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (Cant. 6, 9)? Ascendit plane supra humanum genus, ascendit usque ad angelos, sed et ipsos quoque transcendit, et coelestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum supra angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam.

10. *Quomodo*, inquit, *fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Vere sancta corpore et spiritu, et integritatem carnis habens, et propositum integritatis. Respondens autem angelus, dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ne me interrogaveris, inquit: supra me est et non potero ad illud. Spiritus sanctus, non angelicus, superveniet in te; et virtus Altissimi obumbrabit tibi, non ego. Ne steteris vel intra angelos Virgo sancta: sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens praestolatur. Paululum cum pertransieris eos, invenies quem diligit anima tua. Paululum, inquam: non quia non in-

comparabiliter superemineat, sed quod inter eum et ipsos medium nihil invenias. Transi ergo virtutes et dominationes, cherubim quoque et seraphim, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur ad invicem: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (Isai. 6, 3). *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35). Fons sapientiae, Verbum Patris in excelsis. Hoc Verbum mediante te caro fiet, ut qui dicit: *Ego in Patre, et Pater in me* (Joan. 14, 10); dicat nihilominus, *quia ego a Deo processi et veni* (Joan. 8, 42). *In principio*, inquit, *erat Verbum*. Jam scatet fons: sed interim tantum in semetipso. Denique *et Verbum erat apud Deum* (Joan. 1, 1), lucem profecto habitans inaccessibilem; et dicebat Dominus ab initio: *Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* (Jer. 29, 11). Sed penes te est cogitatio tua, et quid cogites, nos nescimus. Quis enim cognoverat sensum Domini, aut quis consiliarius ejus erat? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum est, et habitat jam in nobis. Habitat plane per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione, et usque ad ipsam descendit imaginationem.

Quid enim prius cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaret?

11. Incomprehensibilis erat et inaccessibilis, invisibilis et inexcogitabilis omnino. Nunc vero comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirum jacens in praesepio, in virginali gremio cubans, in monte praedicans, in oratione pernoctans, aut in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, et in inferno imperans, seu etiam tertia die resurgens, et apostolis loca clavorum victoriae signa demonstrans, novissime coram eis coeli secreta conscendens. Quid horum non vere, non pie, non sancte cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, et per omnia ipse est Deus meus. Haec ego meditari dixi sapientiam, et prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis, quam in hujuscemodi nucleis virga sacerdotalis copiose produxit; quam in supernis hauriens, uberius nobis Maria refudit. In supernis plane et ultra angelos, quae Verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est: *Dies diei eructat verbum* (Psal. 18, 2). Utique dies Pater: siquidem dies ex die salutare Dei. An non etiam Virgo dies? Et praeclara. Rutilans plane dies, quae procedit

sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.

12. Intuere igitur quemadmodum usque ad angelos plenitudine gratiae, supra angelos superveniente Spiritu sancto pervenit. Est in angelis caritas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria? Sed ostensum est superius, ut quidem a nobis ostendi potuit: supereminentiam prosequamur. Cui enim angelorum aliquando dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35)? Denique Veritas de terra orta est, non de angelica creatura: nec angelos, sed semen Abrahae apprehendit. Magnum est angelo ut minister sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit mater. Fecunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior angelis facta munere singulari, quanto differentius prae ministris nomen matris accepit. Hanc invenit gratiam plena jam gratia, ut caritate fervida, virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilo minus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera. Parum est: Quod ex ea natum est, Sanctum vocatur, et est Filius Dei.

13. De reliquo, fratres, curandum nobis summopere est, ne verbum, quod de ore Patris ad nos egressum est Virgine mediante, vacuum revertatur: sed per eandem nihilo minus Virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec praesentiam suspiramus, et suae reddantur origini fluenta gratiae, ut uberius fluant. Alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, et infideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Modicum plane memoria ad praesentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur: longe infra desiderium, sed nihilo minus supra meritum. Sapienter proinde sponsa et pro hoc modico non modice gratulatur[1]). Cum enim dixisset: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie* (Cant. 1, 6): recipiens exigua pro immensis, et pro pastu meridiano libans sacrificium vespertinum, minime tamen, ut solet fieri, murmurat aut tristatur, sed gratias agit, et in omnibus sese exhibet devotiorem. Novit enim quod si fidelis fuerit in umbra memoriae, lucem praesentiae sine dubio obtinebit. Itaque qui reminiscimi Domini ne taceatis, et ne detis silentium. Ni-

---

[1]) Al. gloriatur.

mirum qui praesentem habent Dominum, exhortatione non indigent: et quod ait propheta alius: *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion* (Psal. 147, 1), congratulationis est potius, quam commonitionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant, et ne dederint silentium ei. Loquitur enim, et loquitur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor. Ceterum *cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris* (Psal. 17, 26): et audientem sese audiet, et loquenti sibi loquetur. Alioquin silentium ei dedisti si taceas. Sed unde si taceas? A laude. *Ne taceatis*, inquit, *et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra* (Isai. 62, 7). Laus Jerusalem, jucunda et decora laudatio. Nisi forte angelos cives Jerusalem mutuis opinamur laudibus delectari, et decipere de vanitate in idipsum.

14. Fiat voluntas tua, Pater, sicut in coelo et in terra, ut laus Jerusalem stabiliatur in terra. Quid enim modo est? non quaerit angelus ab angelo gloriam in Jerusalem, et homo ab homine laudari cupit in terra? Exsecranda perversitas! sed eorum sit, qui ignorantiam Dei habent, qui obliti sunt Do-

mini Dei sui. Vos qui reminiscimini Domini, ne taceatis a laude ejus, donec stabiliatur et perficiatur in terra. Est enim silentium irreprehensibile, imo et laudabile magis. Est et sermo non bonus. Alioquin non diceret propheta, bonum esse homini praestolari cum silentio salutare Dei (Thren. 3, 26). Bonum silentium a jactantia, bonum a blasphemia, bonum a murmure et detractione. Alius enim ob laboris magnitudinem et pondus diei exasperatus, animo murmurat; et dijudicat eos, qui pro anima sua pervigilant, tamquam reddituri utique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati silere facit, quam audiri non patitur, vocem verbi. Alius pusillanimitate spiritus in exspectatione deficit: pessimumque hoc verbum blasphemiae est, quod nec in hoc seculo remittitur, nec in futuro. Tertius in magnis ambulat, et in mirabilibus super se, dicens: Manus nostra excelsa; putans se aliquid esse, cum nihil sit. Quid loqueretur huic, qui loquitur pacem? Dicit enim, quia dives sum, et nullius egeo. Porro Veritatis sententia est: *Vae vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram* (Luc. 6, 24). Contra vero: *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (Matt. 5, 5). Sileat

ergo in nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua: quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Domini praestolari, ut dicas: *Loquere Domine, quia audit servus tuus* (1. Reg. 3, 10). Ejusmodi quippe voces non ad eum sunt, sed adversus eum, sicut legislator murmurantibus ait: *Non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (Exod. 16, 8).

15. Ita tamen ab his taceas, ne omnino taceas, ne dederis silentium ei. Loquere illi contra jactantiam in confessione, ut obtineas veniam de praeteritis. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, ut ampliorem invenias gratiam in praesenti. Loquere in oratione contra diffidentiam, ut consequaris et gloriam in futuro. Confitere, inquam, praeterita, et pro praesentibus gratias age, ac deinceps ora studiosius pro futuris: ut ne ipse quidem sileat a remissione, ab immissione, a promissione. Ne taceas, inquam, et ne dederis silentium ei. Loquere, ut et ipse loquatur, et dicere possis: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant. 2, 16). Jucunda vox et eloquium dulce. Nimirum non vox murmuris haec, sed vox turturis est. Et ne dixeris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (Psal. 136, 4)? Non jam

aliena reputabitur, de qua sponsus ait: *Vox turturis audita est in terra nostra* (Cant. 2, 12). Audierat enim dicentem: *Capite nobis vulpes parvulas;* et forte ex eo in vocem exsultationis erupit, ut diceret: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant. 2, 16). Plane vox turturis, quae tam viventi, quam mortuo, singulari utique castimonia, suo compari perseverat, ut eam neque mors, neque vita a Christi separet caritate. Intuere etenim, utrumnam aliquid hunc dilectum avertere potuerit a dilecta, quominus ei et peccanti et aversae perseveraret. Glomeratae nubes radios offundere contendebant, ut iniquitates nostrae separarent inter nos et Deum: sed incaluit[1]) sol, et universa dissolvit. Alioquin quando rediisses ad eum, nisi ille tibi perseverasset, nisi clamasset: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* (Cant. 6, 12)? Esto ergo illi et tu nihilo minus perseverans, ut nullis ab eo flagellis aut laboribus avertaris.

16. Luctare cum angelo, ne succumbas; quia regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (Matt. 11, 12). An non lucta, *Dilectus meus mihi, et ego illi?* No-

---

[1]) Al. invaluit.

tam fecit dilectionem suam; experiatur et tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat saepius, avertit faciem, sed non in ira. Probationis istud est, non reprobationis. Sustinuit te dilectus; sustine tu dilectum, sustine Dominum, viriliter age. Non illum vicere peccata tua; te quoque ipsius flagella non superent, et obtinebis benedictionem. Sed quaudo? Cum aurora fuerit, cum aspiraverit jam dies, cum stabilierit Jerusalem laudem in terra. *Ecce*, inquit, *vir luctabatur cum Jacob usque mane* (Gen. 32, 24). Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia speravi in te, Domine. Non tacebo, nec dabo tibi silentium usque mane; utinam nec jejunium. Nimirum dignaris et pasci, sed inter lilia. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia* (Cant. 2, 16). Nimirum et supra, si meministi, in eodem Cantico evidenter expressum est, quod florum apparitio turturis comitetur auditum (Cant. 2, 12). Sed attende, quod locum, non cibum indicare videtur; nec quibus pascitur exprimit, sed inter quae. Forte enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum: nec liliis vescitur, sed versatur. Nimirum odore potius, quam sapore lilia placent; et visui magis sunt apta, quam esui.

17. Ita ergo pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et venustati florum fructuum succedat ubertas. Interim[1]) quippe florum, non fructuum tempus est, dum in spe magis, quam in re sumus: et per fidem, non per speciem ambulantes, exspectatione magis quam experientia gratulamur. Considera denique floris teneritudinem, et memento verbi, quod ait apostolus, quia *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (2. Cor. 4, 7). Quanta enim videntur imminere pericula floribus! Quam facile spinarum aculeis lilium perforatur! Merito proinde canit dilectus: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (Cant. 2, 2). An non erat lilium inter spinas, qui dicebat: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (Psal. 119, 7)? Ceterum etsi justus germinat sicut lilium, sed non ad lilium sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem. *Ubi*, inquit, *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. 18, 20). Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis,

---

[1]) Al. Ita.

Dei et hominum mediator. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Curemus habere lilia, fratres, exstirpare spinas et tribulos, et inserere lilia festinemus: si quando forte et ad nos pascendus dignetur dilectus descendere.

18. Apud Mariam utique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. Annon lilia virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia caritatis? Erunt tamen et nobis lilia, quamvis inferiora valde: sed ne inter haec quidem dedignabitur pasci sponsus; siquidem eas, quas praediximus, actiones gratiarum devotionis hilaritas illustraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confessionem indulgentia dealbaverit, sicut scriptum est: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (Isai. 1, 18). Ceterum quidquid illud est, quod offerre paras, Mariae commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiae gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, et sine hoc aquaeductu infundere gratiam, prout vellet: sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuae, aut sanguine plenae, aut infectae muneribus, quod non eas ab omni

munere excussisti. Ideoque[1]) modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis Mariae manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quaedam lilia sunt; nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariae manus invenerit, amen.

---

[1]) Al. Itaque.

AUCTORIS ANONYMI

TRACTATUS

DE CONCEPTIONE

B. MARIAE VIRGINIS[1]).

(Ex Mss. Cluniacensi et Corbejensi.)

---

1. Principium quo salus mundi processit, mihi considerare volenti occurrit hodierna solemnitas, quae Conceptione beatae matris Dei Mariae multis in locis festiva redditur[2]). Et quidem priscis temporibus frequentiori usu celebrabatur[3]), ab eis praecipue, in quibus pura simplicitas et humilior in Deum vigebat devotio. At ubi et major scientia et praepollens examinatio rerum mentes quorundam imbuit et erexit; eandem solemnitatem, spreta pauperum simplicitate, de

---

[1]) Cf. de hoc tractatu quae diximus in praefatione n. 7 ss.

[2]) *Ms. Corb. et editio Ray.*, quae de conceptione . . . locis recolitur.

[3]) *Ms. Corb.* a quibusdam praesentibus temporibus . . celebratur.

medio sustulit; et eam, quasi ratione vacantem, redegit in nihilum. Quorum sententia eo maxime in robur excrevit, quod ii, qui eam protulerunt, seculari et ecclesiastica auctoritate divitiarumque abundantia praeeminebant.

2. Sed cum ego et priscorum simplicitatem et modernorum ingenii sublimitatem mecum revolverem; cecidit in mentem quaedam divinae Scripturae verba in medio ponere; et quid judicii de singulis gerant, pro meo sensu pia consideratione perpendere: quatenus sua auctoritate probetur, quid cui attribuendum, quid mei similibus sit certa magis ratione sequendum. Et de simplicibus quidem in ipsis verbis invenitur, quod cum eis sit sermocinatio Dei (Prov. 3, 32). Illos vero, quos multa scientia sine caritate perlustrat, ferunt eadem scientia inflari (1. Cor. 8, 1) potius, quam veri boni integritate solidari. Cum ergo illos Dei sermocinatio instruat, et istos sua scientia quadam ventositate distendat; qui aequa discernere non verentur cui magis parti sit cedendum, precor, edicas; colloquio videlicet Dei inhaerenti, an de sui cordis perspicacia ultra aequum tumenti.

3. Et hi quidem ut nulla memoria de

conceptione Virginis matris in Ecclesia Filii ejus fiat, non sibi rationis[1]) videri affirmant; eo quod ex[2]) nativitate illius, quae ubique festive recolitur, conceptionis ejus exordium satis memoretur: nec enim, aiunt, nata esset, si concepta non fuisset: Et cum in lucem ex materni uteri secreto prodivit, clarum fuit, quod in alvo parentis concepta[3]) in humanam formam concrevit. Cum itaque corporis ejus specificata compositio, et in hujus mundi latitudine exhibitio veneretur a cunctis; supervacue illa adhuc informis materia coleretur, quae in nonnullis saepe, priusquam plene in humanam effigiem transeat, deperit et annihilatur. Hac animi sui sagacitate perfuncti quod antiquorum simplicicitas et perfecta in Domina nostra[4]) constituerat caritas, festum scilicet de conceptione ipsius sacratissimae Dominae, sua qua se pollere gloriabantur auctoritatis ratione, abolere non timuerunt.

4. Visa ergo ratione summorum virorum in abolitione festivitatis matris Dei proficien-

---

[1]) *Ms. Cor.* non sine ratione.

[2]) *Ms. Corb.* in.

[3]) *Ms. Corb.* in peccatis concepta.

[4]) *Ms. Cor.* Domina rerum *leg. puto* Dominam nostram.

tium, videamus etiam caritatem simplicium de tanti gaudii amissione gementium. Simplices sunt, et profundis rationibus philosophorum responsa quae expetunt, fortassis reddere nesciunt. Dicunt tamen devota in Domini matrem caritate fundati, non magni ponderis sibi videri omne quod dignitati aut honori ejus humana laude defertur, si meritis illius et insignibus comparetur. Verumtamen dum ipsa insignia sua, ut dignum est, devotione mundus ubique veneratur, quid sit quod supremam originem illorum non pio oculo intuetur, nonnihil mirantur.

5. Tantorum enim bonorum consummatio, quae per ipsam Domini matrem toti creaturae provenerunt, videtur admonere mentem humanam pietatis affectu exordium suum considerare. Et utique eam venturam, ac Domini matrem futuram tota veteris instrumenti series pandit. Sed utrum ita proxime nascitura quovis oraculo aut angelo nunciata sit, sicut Dominus Christus Filius ejus, aut beatus Joannes praecursor et Baptista ejusdem filii ejus, aut illi vel ille[1]), de quibus ut pene omnibus liquet, sacrae

[1]) *Illi* scil. Isaac, Samuel etc. vel *ille* i. e. Joannes Baptista.

historiae plenissime narrant: in divina pagina non habetur, in canonica Scriptura non reperitur. In quo quid dispensatori omnium rerum Spiritui sancto placuerit, non satis digne me posse considerare confiteor, abs re tamen et contra fidem esse non aestimo, si exordium conceptionis ipsius tam[1]) a simplicibus Ecclesiae filiis aestimetur, ut tam sublime, tam divinum, tam ineffabile fuerit, ut in illud mens humana nulla perspicacitate assurgere possit.

6. Nec mirum: fundamentum siquidem et quasi quoddam seminarium civitatis et habitaculi summi boni in ea ponebatur; et mansio lucis aeternae et templum, quod corporaliter inhabitaret ille incorporeus et incircumscriptus et creatus[2]) simul et vivificans omnia Spiritus, parabatur.

7. Dicit forte aliquis: Quid enim, major et excellentior aestimari debet conceptio futurae matris Dei, quam conceptio venientis in carne Filii Dei? Conceptio namque incarnandi Filii Dei ab angelo, sicut Evangelium refert, coelitus praenunciata et humanitus intellecta est. Si ergo aliquid excellen-

---

1) *Ms. Corb.* tanti.

2) *Creatus* forte legendum *increatus*.

tius, et quod humanum intellectum supervolet, conceptionem B. Mariae designasse aestimandum est; excellentior gloria et major dignitas in ejus, quam in Christi Domini conceptione divinitus enituisse verisimili ratione videtur. Non hoc dico, sed Filius Dei, candor lucis aeternae et ipse lux inaccessibilis, formam servi accepturus semetipsum exinanivit; suumque adventum ita humanis mentibus contemperavit, ut capi posset et intelligi: nam si in Divinitatis suae essentia veniens appareret; nemo caperet, nemo sustineret. Beata vero Maria mater Dei futura, sicut eum, qui super omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia virgo paritura, ac per hoc in Divinitatis illius unitatem transitura, non absurde credi potest primordia conceptionis ejus tanta Deitatis sublimitate praesignata, ut humanarum conceptio mentium ea plene penetrare non valeret.

8. Hoc itaque pura simplicitas supplexque in Deum et in dilectissimam matrem ejus puritas dilectionis aestimare de conceptione illius Dei genitricis non veretur. Et idcirco ejusdem conceptionis dies festivis laudibus a cunctis fidelibus suo judicio merito celebraretur. De ipsa quippe, multis seculis ante

ortum ejus vel conceptum, Isaiam Spiritu sancto afflatum dixisse cônstat: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (Is. 11, 1). Haec itaque virga, quae talem ex se protulit florem, nullo dissentiente, Virgo Maria fuit; et flos, qui de radice ejus ascendit, benedictus Filius, super quem et in quo omnis plenitudo divinitatis essentialiter requievit.

9. Haec igitur virgo, tanti filii dignissima parens, cum in alvo suae parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat Dei sapientiam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio coelum, terram et omnia, quae in eis sunt, perfudisse, ac ineffabili jubilatione pro sui redintegratione, quam per illam sibi eventuram divina et occulta inspiratione praevidebant, perlustrasse? Sed cum ipsa conceptio fundamentum, ut diximus, fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicujus ex primae praevaricationis origine maculam traxit, quid dicemus? Utique voce divina dicitur ad Jeremiam: *Priusquam te forma-*

rem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te: et prophetam in gentibus dedi te (1, 5). De Joanne quoque angelus, qui eum nasciturum praenunciabat, asseruit quod Spiritu sancto repleretur adhuc ex utero matris suae (Luc. 1, 15). Si igitur Jeremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus; et Joannes Dominum in spiritu et virtute Heliae praecessurus, Spiritu sancto est ex utero matris repletus: quis dicere audeat singulare totius seculi propitiatorium, ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium, mox in suae conceptionis exordio Spiritus sancti gratiae illustratione destitutum? Testante vero Scriptura: *ubi Spiritus, ibi libertas* (2. Cor. 3, 17): a servitute igitur omnis peccati libera fuit, quae omnium peccatorum propitiatori aula, in qua et ex qua personaliter homo fieret, Spiritus sancti praesentia et operatione construebatur. Quod si quis eam primae originis peccato non omnimode expertem fuisse pronunciat, cum illam ex legali conjugio maris et feminae conceptam verissime constet, sententia catholica est[1]). Ego a catholicae et universalis

---

[1]) *Sententia catholica est.* Sensus forte est, ca-

Ecclesiae veritate nulla ratione volo dissentire: magnificentiam tamen operationum virtutis divinae quadam quasi mentis lippitudine pro posse considerans, videor mihi videre, quia si quid originalis peccati in propagatione ejus et communis vitii exstitit, illud propagantium et non propagatae prolis fuit.

10. Castaneam invicem attende, cum de sui videlicet generis arbore prodit nascitura, involucrum illius totum hispidum et densissimis aculeis undique septum apparet. Intus castanea concipitur, primo quidem nucleum lactei liquoris, nihil hispidum, nihil asperum, nec aliquibus aculeis noxium in se habens[1]), sed se aliquatenus servans illic in

---

tholice eum adhuc sentire, si quis b. Virginem primae originis peccato non omnimode expertem fuisse pronunciet, quia nondum Ecclesia catholica solemniter hanc definierat veritatem gravesque auctores eo tempere illam vocaverant in dubium.

[1]) Affinis huic similitudini est alia, qua patres et scriptores ecclesiastici admodum delectantur, cum Mariam exhibent ceu *rosam sine spina* vel *lilium inter spinas*. Ex pluribus (cf. Passaglia de immacul. conc. sect. 6. n. 1274 s.) nonnullos adducemus. Ita Sedulius canit (carm. pasch. l. 2. v. 28 ss.):

Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod laedat habens, matremque obscurat honore;

summa lenitate nutritur, fovetur et alitur; ac forma in sui speciem et habitudinem jam adulta, rupto involucro ab omni spinarum punctione et onere liberrima natura egreditur. Attendo. Si Deus castaneae confert ut

---

Sic Evae de stirpe sacra veniente Maria
Virginis antiquae facinus nova virgo piavit.

Alanus Magnus de insulis Mariam celebrans (Encyclop. c. 9.) ait:

Nescia spineti florens rosa, nescia culpae
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens.

Adamus a s. Victore, qui sic (ap. Theoph. Raynaudum in glossario mariano op. P. 7. p. 424) habet:

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spinis spina carens,
Flos spineti gloria.

Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati
Sed tu spinae nescia.

Secundum Theodotum ancyranum (or. in Chr. nativit. n. 11.) b. Virgo credi debet: „Innocens sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta animo et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans.“ Jam vero cum b. Virgo tamquam lilium, tamquam rosa opponitur humano generi spinis obnoxio, spinarum nomine non videtur tantum actuale designari peccatum, sed originale, cum ipsa vel ab origine exhibeatur tamquam rosa, humanum vero genus ut spinetum, ut spinis obnoxium. Pulcre proinde hac metaphora b. Virginis adumbratur immaculata conceptio.

inter spinas remota punctione concipiatur, alatur, formetur; non potuit haec dare humano, quod ipse sibi parabat, templo, in quo corporaliter habitaret, et de quo in unitate suae personae perfectus homo fieret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimode exsors redderetur? potuit plane, et voluit: si igitur voluit, fecit.

11. Et quidem quidquid dignum unquam de aliquo extra suam personam voluit, perperam est eum de te, o beatissima feminarum, noluisse: voluit enim te fieri matrem suam; et quia voluit, fecit esse: quasi diceretur, matrem suam te fecit ille rerum Dominus, creator et gubernator; rerum, inquam, omnium, non solum intelligibilium, sed omnem intellectum transcendentium Dominus et factor te dominam et imperatricem constituit coelorum atque terrarum: et sic marium et omnium elementorum, cum omnibus quae in ipsis sunt, domina et imperatrix exstitisti et exsistis: et ut ita esses, in utero matris tuae a primordiis conceptionis, operante Spiritu sancto, creabaris. Ita est, bona Domina, et gaudemus ita esse. Numquid ergo, dulcissima Domina, numquid tu tanta futura, summi videlicet Mater unica, et

omnium quae fuerunt, sunt vel erunt, prudens ac nobilis post Filium tuum imperatrix: numquid in exordio tuo talis esse debuisti, ut omnium quorum te dominum gerere [1]) certissime novimus, aut impuritati aut subjectioni potuisset addici.

12. Ille assertor purae veritatis, et a Filio tuo jam in coelo praesidente vas electionis cognominatus, omnes homines peccasse in Adam fatetur (Rom. 5, 12); vera utique sententia, et cui contradici nefas esse pronuncio [2]). Sed cum eminentiam gratiae Dei

---

[1]) *Dominum.* Forte legendum: „Ut omnium (scil. hominum), quorum te *dominium* (vel *dominam* vel etiam *Dominum* i. e. Christum) gerere certissime novimus, aut impuritati aut subjectioni (sub daemonis capivitate) *potuisses* addici?“ Quibus eandem fere convenientiae rationem pro conceptione immaculata enunciat, quam Dionysius carthusianus (in 3. d. 3. q. 1.) ita expressit: „Horremus dicere mulierem, quae caput serpentis contritura erat, quandoque ab eo contritam, et quae diaboli filia fuit matrem Domini futuram; insuper dominam angelorum servam, immundam et foedatam etiam per unicum instans fuisse illam prae ceteris electam creaturam et quae in omni gente et in omni populo primatum habuit (Eccli 24, 5 ss.).“

[2]) Certum est plane universales esse propositiones, quibus s. Paulus et post Paulum patres affirmant, *omnes in Adamo esse mortuos*, *peccato Adami infectos*, *omnes in Adamo peccasse*, neminem proinde licere eximere, nisi de ejus exceptione certo constet.

in te considero, sicut te non intra omnia, sed super omnia, quae facta sunt, inaesti-

---

Jam vero certo nobis constat b. Virginem utpote Dei matrem intuitu meritorum Christi fuisse exceptam. Constat nobis 1) infallibili Ecclesiae magisterio, cujus est revelaonisti in strumenta authentice interpretari. Constat 2) conjectura saltem quadam, quam hic innuit auctor noster et cum ipso auctor hom. de assumpt. b. Maria V. inter opera spuria Aug. Mig. 40, 1145) c. 4: „Non immerito exci- pitur (Maria) a quibusdam generalibus vera aestimatione, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis praerogativa.“ Et sane quid universalius lege illa, qua conceptione et partu feminarum tollitur virginitas? Atqui ab hac lege sola excepta est b. Virgo. Hinc acute auctor cit. suam confirmans conjecturam subjicit: „*Quantum gratia possit, Mariae monstrat integritas*“. Huc spectat aurea illa s. Augustini regula (de nat. et gratia c. 36. n. 42): „Excepta itaque s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.“ In quae verba cf. Passaglia de immac. conc. sect. 6. n. 1259 ss., ubi pluribus ostendit, haec non tantum de peccato actuali, sed et de originali esse intelligenda. Constat 3) de hac exceptione patrum testimonio, qui id vel *aequivalenter* vel *diserte* affirmant. Et *aequivalenter* quidem quoties Mariam salutant solam, semper, totam immaculatam (cf. Passaglia l. c. n. 1415 ss.); neque enim *sola* vel *semper* vel *tota* esset immaculata, si *cum ceteris omnibus* vel *ad*

mabili modo contueor: ita te non lege naturae ut alios in tua conceptione devinctam

---

momentum etsi *nonnisi in origine* culpae naevo fuisset infecta. Ita Leoni Augusto or. in deiparae dormitionem Maria est „perpetuo lumine collustratum candelabrum;" Andreae cretensi or. 2. in deip. nativ. „germen semper viride semperque floridum;" Paulo diacono s. in deip. assumpt. „virga vitiositatis nodis funditus carens." „Te excepta, Domina, legimus in menaeis ecclesiae graecae 9. Sept., nemo est inculpatus;" „Sola incorrupta et omnis labis funditus expers (men. 20. Aug.); sola omni ex parte immaculata (Anthol. 9. Dec.)." „Ad hunc paradisum, inquit Damascenus h. 2. in deip. dormit. n. 2, serpenti aditus non patuit, cujus falsae divinitatis cupiditate flagrantes jumentis sumus comparati." Huc deinde spectant reliqua omnia argumenta, quibus immaculatus ejus probatur conceptus. *Diserte* vero eam excipiunt copti in suis theodociis (quorum summa est antiquitas cf. Passaglia l. c. sect. 8. n. 1735 ss.) p. 143. canentes: „Tu ex Adam sine seductione creata es, tu ex Eva effecta homo libera a doloribus partus ac morte." Graeci vero in suis menaeis (d. 4. Maji od. 6.) eam ita salutant: „Evae quidem auribus perversissimus serpens venenum infudit: tu vero sola ipsum a te repulisti, o Dei mater, quae ejusdem interemptorem genuisti!" Quibus similia sunt, quae in h. l. Origeni adscripta leguntur: „Neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatis venenosis infecta." Secundum Joannem Geometram Maria „vitii nostri nihil contraxit (hymn. 3. in deip. v. 17 s.)"; secundum Paschasium Ratbertum (de perpet. virg. B. M. V.) „Ab

fuisse opinor; sed singulari et humano intellectui impenetrabili Divinitatis virtute et

---

omni contagione primae virginis est aliena"; secundum Theodotum ancyranum (or. in deip. et s. Sym. n. 5): „Qui antiquam illam virginem sine probro condidit, ipse et secundam sine noxa et crimine fabricatus est." „Hodie Adam, inquit Andreas cretensis or. in deip. nativ., ex nobis pro nobis primitias Deo offerens, Mariam primitias facit, et quae ex tota massa non erat inquinata, per ipsam fit panis ad generis reformationem." S. Sabas ita od. 14. (ap. Wagnereck pietas mariana p. 212) Mariam celebrat: „In te primi parentis substitit lapsus, ultra progredi facultate sublata." Aliis praetermissis duo pulcherrimi audiantur hymni. Ita enim canit Prudentius (Cathemer. 3. v. 146 ss.):

Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua femineis
Vipera proteritur pedibus.

Edere namque Deum merita
Omnia virgo venena domat:
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit
Gramine concolor in viridi.

Quae cum clara sint clarissima redduntur verbis donationis factae (c. a. 780.) ab Ugone de Summo, in qua faciendam praescribit: „Unam nobilem et pulchram statuam de ligno incorruptibili sive de marmore . . . quae repraesentet imaginem ejusdem s. Mariae matris nostrae coronatae duodecim stellis, in

operatione ab omni peccati adjunctione liberrimam. Solum etenim peccatum fuerat, quod

---

cujus ampla superveste sint sol et luna, et sub pedibus ejus habente antiquum serpentem, cui in paradiso terrestri a Deo dictum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem* etc. (Gen. 3, 15). Volo autem ut serpens ita sit sculptus, ut frustra virus inermis videatur vomere, et nequissimum ejus caput sic b. Virgo forti pede conterat, *uti decet illam, quae gratia Filii ab originali labe anticipata redemptione praeservata semper fuit* tam anima tam corpore integra et immaculata. Insuper ordino, ut omni anno in festivitate immaculatae conceptionis b. Mariae matris Dei in eodem oraculo in missa . . . canatur tropus:

Candidissima uti lilia
Salve aeterni Patris filia.
Salve mater Redemptoris,
Salve sponsa Spiratoris.

Sine macula concepta,
Salve Triadis electa.
Salve inferni victrix aspidis
Illius expers sola cuspidis.

Salve Triadis electa
Sine macula concepta."

In quod insigne christianae antiquitatis monumentum cf. quae doctissime annotat Ballerini Sylloge monument. 1, 1 ss. ed. Paris. 1855. Ceterum 4) ut secundum omnem theologiae rigorem hanc difficultatem solvat Suarez, haec ex ordine statuit (de myster. D. 3. s. 2 ss.): „Dicendum censeo *primo* absolute et simpliciter fatendum esse, b. Virginem

homines a parte Dei dirimebat: et ut illud Filius Dei evacuaret, sicque ad placere Dei humanum genus revocaret, homo fieri voluit; et talis, ut nec in eo aliquatenus concordaret

---

in Adam peccasse. Probatur quia Paulus ad Rom. 3. et 5. absolute dicit omnes peccavisse in Adam et ideo indiguisse redemptione. Ergo non potest magis b. Virgo ab una quam ab alia generali clausula excipi. . . . Dico *secundo* b. Virgo ex vi suae conceptionis fuit obnoxia originali peccato, seu debitum habuit contrahendi illud, nisi divina gratia fuisset impeditum.“ Utrumque censet ita certum, ut citra errorem negari non possit. Nec idcirco sequitur b. Virginem contrahere debuisse peccatum originale „quia prior illa lex non includit absolutam ac definitam Dei voluntatem, ut peccante Adamo omnes filii sine gratia conciperentur, sed perderent jus ad gratiam, et ideo quantum esset ex vi conceptionis sine illa conciperentur, non tamen privavit se Deus jure et libertate miserendi cujus vellet et quando vellet.“ Perbelle applicat dein huic quaestioni illa Ulpiani in lege *Princeps*: „Princeps legibus subditus non est: augusta vero licet sit subdita, princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipse habet.“ Ita Christus nullo pacto legi peccati originalis fuit obnoxius; ejus vero mater per se quidem fuit obnoxia, verum Filius sui privilegii ex gratia reddidit eam participem. Apte quoque huc transferuntur verba Assueri ad Esther reginam, Mariae typum (cf. Passaglia l. c. s.): *Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus* (qui reginae praerogativa non potiuntur) *haec lex* (alioquin universalissima) *constituta est.*“

ei, unde homo a Deo discordabat: quia ergo ita fieri oportebat, matrem, de qua talis crearetur, mundam esse ab omni peccato decebat[1]). Aliter enim quo pacto illi summae

---

[1]) „Decens erat, inquit Anselmus de conc. virg. et orig. pecc. c. 18, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat et de qua Spiritus s. volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat." Quae passim approbat s. Thomas; hinc scribit 1, 2. q. 81. a 5. ad 3: „Oportebat ut mater Dei maxima puritate niteret. Non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum secundum illud Ps. 92, 5: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.*" Talis autem puritas est ea tantum, quae et peccati originalis maculam excludit. Hanc convenientiae rationem approbans Pius IX. in bulla „Ineffabilis Deus" docet: „Prorsus decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit." Huc referri possunt illa Nicolai, monachi s. Albani, ep. ad Petrum cellensem (inter hujus ep. 9. L. 9.): „Sicut in coelo qualis Pater talis Filius, sic in terra qualis Filius, talis mater, non dico de Spiritu s. concepta ut Filius, sed de Spiritu repleta et sanctificata ex utero matris ut Filius." Cf. similia supra apud s. Bernardum hom. 2. n. 1. p. 69.

puritati caro tanta conjunctione uniretur, ut homo assumptus ita esset in unum, ut quae Dei sunt, indifferenter hominis essent, et quae hominis, Dei[1]).

13. Adhuc propone tibi palatium, quod specialiter suis usibus aptum exsistat, construere volentem, in quo et ipse frequentiori et festiviori cursu conversetur, et omnibus ope ejus atque auxilio indigentibus mitiori et laetiori vultu respondeat et auxilietur. Patereturne, quaeso, in principio palatii fundamentum invalidum, et structurae, quae foret aedificandae, incongruum, et non cohaerens? Non puto, si saperet, et propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo Sapientiam ante omnia secula proposuisse sibi habitaculum, quod specialiter inhabitaret, construere similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, jam dudum innotuit; hoc enim habitaculum illud sacrarium Spiritus sancti esse fatemur, in quo et per quod eadem Sapientia humanae naturae conjungi voluit et incorporari, et omnibus se pura mente confitentibus parcere et misereri: quod sacrarium,

---

[1]) *Ms. Cor.* explicit Anselmus de Conceptione B. Mariae Virginis.

aula videlicet universalis propitiationis, cum operante Spiritu sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet initium sive primordium formationis beatae Mariae, corruptum fuit, ipsi certe constructurae non congruebat nec cohaerebat. Insciane fuit et impotens sapientia Dei et virtus mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanae[1])? Angelis aliis peccantibus, bonos

---

[1]) Ut huic rationi vis addatur, haec expendantur: 1) Patres de b. Virgine disserentes eam passim vocare *Dei palatium*, *Dei templum non manufactum*, proin praeter et supra naturae conditionem evectum, quae est vis dictionis *οὐ χειροποίητον*, ut colligitur ex Hebr. 8, 2; 9, 11, 24; Marc. 14, 58; Act. 7, 58; 2, Cor. 5, 1; Eph. 2, 11. Idcirco vero 2) dicunt illam templum non manufactum, quod divinitus fuerit hoc templum exstructum, divinitus haec Virgo praeparata. Ita graeci in menaeis ad d. 8. Sept. „Hodie Deus . . . thronum sanctum sibimetipsi super terram praeparavit: qui coelos in sapientia stabilivit, animatum coelum in sua erga homines benignitate adornavit. Ex infructuosa namque radice germen vitam afferens oriri nobis fecit.“ Hinc passim b. Virgini accomodant illa Prov. 9, 1. verba: *Sapientia aedificavit sibi domum* (cf. Passaglia, de immac. conceptu sect. 4. a. 2. n. 727 ss. s. 6. n. 1208 ss.), vel eam conferunt paradiso *θεοφυτεύτῳ* (Gen. 2, 8. Cf. ib. n. 1301 ss.). Hujus autem 3) conditionis, praeparationis jacta esse censent fundamenta in ipsa Virginis conceptione. Ita Petrus ar-

a peccatis servavit; et feminam, matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis

---

gorum episcopus de conceptione deiparae disserit (n. 1): „Hodie primi parentes . . . certiores dum fiunt, modo in agro sterili fragrantissimam illam rosam plantari, quae suo odore quidquid sub sole est perfundet, ac praevaricationis foetorem abiget, laetitiam gratulationemque ingeminant. Omnes quotquot sunt creaturae, dum purissimi templi Regis omnium Christi nunc jaci fundamenta cernunt, gratanter tripudiant . . . Nunc arido in utero divinus ille plantatur paradisus, qui nos a priori expulsos mortique damnatos per vivificum germen ex ipso oriturum ad vitam revocabit . . . Nobilitatis itaque ac decoris naturae nostrae primam in Annae utero plantationem intuentes, exsultemus omnes etc.“ Hinc ad rem Joannes euboeensis (or. in concept. n. 23): „Si enim ecclesiarum dedicationes merito celebrantur, quanto magis ultra ullam comparationis rationem debemus cum studio et pietate ac Dei timore hanc peragere solemnitatem? in qua non ex lapidibus jacta sunt fundamenta, neque manibus hominum Dei templum exaedificatum est: videlicet in utero concepta est deipara ac s. Maria, sed Dei Patris beneplacito et cooperatione sanctissimi ac vivificantis Spiritus; Christus Dei Filius . . . ipse eam aedificavit, et ipse in ea inhabitavit, ut legem ac prophetas . . . impleret.“ (ib. s. 7. n. 1681.). Jam vero 4) fieri non potuit, ut illud templum, quod praeter et supra naturam est exstructum, cujus architectus singulari ratione est Deus, quod ille sibi ab ipsa ejusdem conceptione elegit, praeparavit, ornavit, ut se dignum haberet habitaculum, vel in ipsis fundamentis esset

exsortem servare non valuit? In aeternitate consilii fixum statuit eam dominatricem et reginam fore angelorum; et nunc inferiorem

---

corruptum, vitiatum, Deoque exosum, ut noster auctor advertit. Hinc 5) factum ut b. Virgo passim vocaretur *nova creatura* κατ᾽ ἐξοχὴν, immunis proinde a vetustate peccati; describeretur ut Dei germen, opus divinae artis. „Cur virgo mater orta est ex sterili? quaerit Damascenus or. 1. in deip. nativ. n. 2. Plane, respondet, quia oportebat, ut ad id quod solum sub sole novum futurum erat ac prodigiorum caput, via per prodigia sterneretur paulatimque ab humilioribus ad sublimiora progressio fieret. Ceterum alia quoque altiorque diviniorque ratio a me afferri potest. Natura enim gratiae cedit statque tremula pergere non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei genitrix virgo ex Anna nasceretur, natura gratiae germen antevertere non est ausa, sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet. Nasci siquidem primogenitam oportebat, ex qua nasciturus esset omnis creaturae primogenitus, in quo omnia constant.“ Concludere proinde 6) licet, cum patres affirmant s. Annam filiam genuisse *sanctam, innocentem, immaculatam* (cf. Passaglia l. c. n. 682 ss., 1573 s., 1629 ss., 1662 ss.) has loquendi formulas non esse intelligendas *in sensu* quem dicunt *diviso*, quod scil. genuerit puellam, quae postmodum facta sit sancta et ab omni immunis macula, sed *in sensu composito*, quod genuerit puellam, quae in ipsa conceptione fuerit sancta et ab omni macula pura. Ceterum de hac nostri auctoris ratione cf. Bossuet ss. 1—3 sur la concept. du s. Vierge; Segneri Manna dell'Anima ad d. 8. Dec.

angelis natam, in consortium acceptam esse credemus omnium peccatorum? Existimet hoc, et argumentis suis probet, qui vult: ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominae nostrae posse dici, quae dixi, dico; quae scripsi non muto; ceterum me et intentionem meam Filio ejus et illi committo.

14. Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est: omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te est: quod supra te est, solus Deus est; quod infra te, omne quod Deus non est[1]). Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? quis attinget? Et certe ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, id est, in utero matris tuae purissima oriebaris. Quod si tali modo con-

---

[1]) Hisce similia supra audivimus a Proclo or. 2. n. 2, legimus quoque apud Epiphanium juniorem hom. 5. in laudem s. Mariae (Mig. patrol. gr. 43, 491): „Solo Deo excepto, cunctis superior exsistit; natura formosior est ipsis cherubim, seraphim et omni exercitu angelico; cui praedicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, imo vero nec angelorum“. Apud Anselmum orat. 51. ad s. V. Mariam (Op. p. 281): „Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam. Nihil est aequale Mariae; nihil nisi Deus majus Maria.“

cepta et ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non succrevisses.

15. Quisquis igitur de crementi tui magnitudine gaudet ac laetatur, de ordinatione ipsius crementi aequum est ut exhilaretur. Qui ergo a die beatae conceptionis tuae gaudium ejusdem conceptionis tollit Ecclesiae Dei; aut non bene attendit, aut attendere negligit, vel nescit bonum, quod inde processit omni creaturae Dei. Sed immensitatem boni ipsius quis explicabit? Fateor non ego; longe enim a me et mei similibus, hoc est peccatoribus, tanta salus: verumtamen, ut autumo, quasi in aenigmate adverti aliquatenus poterit, si malum, in quod natura humana ex peccato Adae corruit, ante mentis oculos praefigatur; et ita in ipsius mali contrarium, bonum scilicet quod per hanc Dominam mundo provenit, animus considerare volentis defigatur.

16. Omne quippe bonum, ad quod homo conditus fuerat, perdidit in Adam: et idem ipsum bonum multo excellentius humana natura recuperavit in Maria. Duas siquidem beatitudines, et duas miserias esse novimus: harum beatitudinum et miseriarum unam majorem, alteram minorem esse constat. Beatitudo major, regnum coelorum: minor,

qua primus homo potiebatur ante peccatum: major miseria, poenae infernales; minor, in quibus vivimus continuae tribulationes, et nos ipsarum beatitudinum experientia penitus ignari, experientia miseriarum sentimus nos usquequaque gravari: sub una gemimus: aliam, ne nos rapiat, formidamus. Consideratione etenim minoris, si vigilanti animo studium adhibemus, aliquantum quae sit major miseria conjicere valemus, licet porro infra quam sit. Qualitatem vero beatitudinis vel minoris, nisi per contrariam miseriam in qua sumus, non facile percipere possumus. De majori autem beatitudine dictum aestimo, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* (1. Cor. 2, 9).

17. Ab his igitur beatitudinibus omni modo separati fuimus per praevaricationem nostri primi parentis, et utrique miseriae infeliciter obnoxii facti. Mors namque per peccatum Adae intravit in mundum, et ita in omnes homines pertransivit (Rom. 5, 12); nec aliquis ante adventum Filii sanctae Mariae inde poterat liberari. Et quae mors? Mors animae primo, qua homo perdidit vitam aeternam, Deum videlicet, ad cujus similitudinem factus fuerat. Infelix perdere, per-

dere quod summe est et vere, et sine quo nihil unquam bene habetur vel est! Hanc miseram mortem et omni malo incomparabilem mors quoque corporis sequebatur, per quam anima, quae adhuc in corpore degens vitae coelestis flatum amiserat, multo miserior claustris inferni submersa deperibat. Hanc inaestimabilem damnationem nemo qui evaderet, qui inde liberaretur, nemo erat; liberandi potestas in tota creatura nulli rei accidebat: soli Deo, qui hominem fecerat, et contra quem homo deliquerat, haec liberandi potestas supererat. Sed quis? ipse offensus, ipse despectus, ipse ut parceret a nullo digne petebatur, de die in diem scelera multiplicabantur, et ira Dei ad puniendum potius quam ad parcendum provocabatur: at ille cujus pietas non exhauritur, cujus misericordia non exinanitur, cujus bonitas nunquam deficit, cujus majestas quod vult efficit, hominem ad similitudinem sui creatum, ne totus in aeterna damnatione periret, liberare instituit; et ordine, quo gratior esse non potuit, ipse videlicet qui hoc et per se faceret, homo fieri voluit, nec talis ut ceteri homines, sed ut ipse et assumpta humanitas in una persona esset perfectus Deus et perfectus homo ex anima rationali et humana carne

subsistens: sed tota humana natura in radice sui vitiata fuerat atque corrupta, nec Deus corruptioni et vitio peccati potest consociari: necesse igitur fuit, ut natura, de qua se hominem facere volebat, et humana et munda ab omnis peccati contagio esset: quod non inveniret; cum, ut dixi, nihil incorruptum vitiata cunctorum radice exsisteret: sed qui humanae perditioni subvenire disponebat, Dei virtus et Dei sapientia nuncupatur (1. Cor. 1, 24). Itaque ad omnia quae vult, posse suppetit illi, nec sapientiae illius ullus est numerus, quae pertingit a fine usque ad finem, cuncta disponens. Poterat ergo de massa peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, unde in unam personam sui susciperet, ut homo integer esset, et Divinitati suae nihil minueret. Praedestinata fuit et praeordinata in hoc opus mirabile, et omnibus operibus Dei praestans et inenarrabile, Maria, scilicet illa magni maris nobilissima stella, hoc est totius seculi illustratio, et omnium in tempestatibus diversorum casuum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab aeternae mortis interitu paventium ac sub ejus praesidium confugientium tutum juvamen atque redemptio.

18. Te igitur, Domina, quam in tantum culmen praedestinavit et extulit divina potentia, quam tot praerogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia: crediderimne, quaeso, te morte peccati, quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuisse gravari? me namque iterum atque iterum ipsas, quas superius commemoravi, rationes considerante, animus hoc credere vitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.

19. Quod si dicitur te, si ante partum beati Filii tui praeventa corporis morte fuisses, originalis peccati legem aliorum more evadere non potuisse; inepte dicitur: nec tanti est, ut ei respondeatur. Qualiter enim mater Dei futura praeordinata fuisses, si ad hoc te, qui praeordinavit, Deus non perduxisset? Nam in Deo non est, est et non, sed simplex est in illo est. An mors valentior esse posset Deo, de cujus manu nemo valet quidquam rapere? Nunc autem, quia tanti apud Deum prae omni creatura es, ut mater ejus dignissime fieri meruisses; sicut ipse non tantum supercastus et mundus, sed ipsa castitas ipsaque munditia est: ita carne

verum hominem paritura eras, munda prae omnibus jure esse debueras. Primordia itaque creationis tuae merito filii sanctae Ecclesiae debent venerari; si sancta, si casta, si a corruptionis vel peccati ruga illa credunt esse discreta.

20. Qui aliter sentiunt, quod melius approbant, credant. Ego, piissima Domina, ego tuus qualiscunque servulus, ego scio, credo et confiteor, quia inde ex radice Jesse pulcherrima, ac per hoc ab omni quod te aliquatenus decoloraret peccati vulnere aliena prodiisti, et integerrima permanens florem speciosissimum protulisti, florem, inquam, protulisti, et non qualemcunque, sed super quem septiformis Spiritus sanctus requievit, et odore vitae perennis, odore salutis aeternae omnem creaturam gratia Divinitatis suae respersit atque replevit. Per hunc a peccato primi parentis liberamur, et mortem, quae per istud intravit in orbem terrarum, evadimus; miserias quibus opprimebatur omnis caro ob meritum ipsius delicti, jam alias in re, alias in spe, conculcat ipsa caro redempta cruore ipsius floris, unici scilicet Filii tui et dilecti. Per hunc quoque non modo paradiso, unde Adam fuit repulsus, restituimur; sed et regno coelorum, quod non habuerat, sed habiturus

erat si non peccasset, multo felicius illo et dignius invehimur. Nam si Deo inobediens non fuisset, nunquam Filius Dei homo fieret, in quo vel pro quo mortem patiens ac resurgens regnum coelorum in substantia nostrae carnis dominandi jure penetraret.

21. Nunc autem quae gloria, quis honor, quae jubilatio cordis, quae jucunditas mentis, quae securitas aeternae beatitudinis erit humanae naturae, quando illum sibi viderit concorporalem, quem omnis militia coelorum adorat super se verum Deum, cum Patre et Spiritu sancto omnia regentem, omnibus imperantem, et aeterne Patri suo consubstantialem et coomnipotentem? Hanc gloriam, hanc tantorum bonorum possessionem nunquam humana natura adipisceretur; si Deus ipse, pro expiatione peccati Adae, in carne humana non nasceretur. Multo igitur felicius et dignius in regno coelorum erimus, quam si Adam non peccasset futuri essemus.

22. Et quid erit, forte aliquis[1]) . . . . de memoria malorum, pro quorum integerrima abolitione interminabiles gratias agerent illi, quem praesentem semper habebunt, suo piis-

---

[1]) Desunt hic nunnulla. Supplendum videtur verbum *interrogabit, quaeret,* vel simile quid.

simo Redemptori quicunque ibi fuerint homines? Constat enim quod omnes omnium conscientiae singulis patebunt non solum hominibus, sed et angelorum et hominum et angelis et hominibus. Cum igitur cherubim et seraphim, throni et dominationes, aliaeque coelorum virtutes, in conscientia singulorum cognoverint peccata illorum, seque talium viderint omnino insontes, quomodo fieri poterit, ut eos non computent exinde viliores, quam si nunquam eis aliqui tales dominati fuissent errores? Quomodo ergo felicius et dignius erunt in societate angelorum, quorum vilitas nominatur ex communione peccati Adae aestimatione ipsorum? peccare namque infelicitas et indignitas, non peccare vero felicitas et dignitas comitatur.

23. Haec si quis dicit, duci quidem ratione videtur, sed humana. Nam coelestia consideranti alia ab istis occurrit consideratio. Non enim illi angelici spiritus, quorum similitudinem juxta promissum Domini adepturi sunt post hoc seculum quique justi homines, in eis considerabunt qui fuerint, sed qui sint: licet hi in memoria sua habeant qui fuerint, ad laudem scilicet et ad gloriam Salvatoris sui. Certe si aliquis in hac mortali carne positus aliquo gravi morbo,

verbi gratia, lepra percussus, toto corpore vermibus scateret, et cunctis eum intuentibus horridus immane foeteret; si aliquo eventu, utpote (f. puta) medicorum juvamine, vel respectu mira facientis Dei misericordiae integrae sanitati restitutus fuisset, et res eis, qui eum prius noverant, innotuisset, mox hi qui illum ante abominabantur, si charitas in eis firma vigeret, ipsum videre, ipsum alloqui, in ipso gratiam Dei cuperent intueri, mirari, venerari, et ipsum duplici honore censeri habendum. Ipse nihilo minus suae infirmitatis non immemor, aliis etiam ignorantibus eam ultro et cum quadam sui augmentatione referret, ut primo et praecipue Dei gratia inde, seu medicorum perita scientia, seu sua longanimitas, vel devotarum precum cum beatorum operum diutina exhibitione instantia, vel medentium inflicta asperitas, quod a salutis desiderato effectu non deflexerat, praedicaretur. Si ergo haec ita geruntur in humanis, quid putas in horum quodammodo similibus geritur in divinis? Equidem peccata, quibus Dei vultus offenditur, mentis humanae vulnera atque putredines esse non nesciuntur. Quae unde procedunt, nisi ex suae conditionis ingenita corruptione? Quae corruptio dum transierit

in incorruptionem, nihil ulterius erit quod doleat, nihil quod alicui sordescat, nihil quod cuncta cernentis Dei oculos offendat. Pax igitur erit inter Deum et homines, quam nullus finis includat, nulla occasio scindat, nulla offensa obnubilet: videbitur enim ipse qui est et laetabitur in commune in eodem ipso et ad ipsum, qui ab eo quod est, aliud omnino esse non potest.

24. Deus meus, Deus meus, doce cor meum intelligere quid ibi futurum sit omnibus, qui te hic dilexerunt, qui mortem tuam vitam suam in directione viarum suarum complexi sunt, qui tibi in sequenda voluntate tua per mandatorum tuorum custodiam adhaeserunt. Vere, bone Domine, juxta vocem beati Apostoli tui, summe tu omnium bonorum praestantissimus eris aeternaliter in omnibus (1. Cor. 15, 28). Et quid boni poterit deesse alicui, cum te habuerit, qui fons es et perfectio omnis boni? Quomodo itaque illi tui dilecti teque diligentes ad intuitum gloriae tuae perenni jucunditate gaudentes, angelicos spiritus dico, quomodo, inquam, poterunt eos praecipuo honore dignos non judicare, eos ut semetipsos non amare, quos tibi concorporales, quos in forma humanitatis viderint tibi consubstantiales? Quomodo eos

non immensa dulcedine amplectentur, quorum mira vis animi, dum viverent in carne mortali, tantum in domandis voluptatibus suis pro tuo amore in se valuit, ut pateat omni creaturae te pro eis non fuisse gratis hominem factum, natum, passum, mortuum? Siquidem tibi hanc laudem pepererunt, ut qui eos in terra homo factus perditos requisisti, te audirent, te diligerent, tuis monitis acquiescerent, et ad te laeti pervenirent: sicque te nec in tuo consilio deceptum, nec otiose pro eis quae passus es perpessum fuisse ostenderent. Non igitur eos omnino irrationabiliter dixi, Domine, ut aestimo, dignius atque felicius in regno tuo esse, quam futuri essent, si Adam non peccasset.

25. Ad hoc illa dignitas atque felicitas sese ingerunt considerationi meae, a quibus humana natura nihilo minus aliena exsisteret, si ob meritum peccati sui primus homo paradisum non perdidisset. Virginem Mariam, quae super omnes mulieres beata hodie et benedicta colitur et praedicatur, quam summus et omnipotens Deus sibi in matrem assumpsit, et universis quae post se sunt secum dominari constituit, cum in dextera ipsius unici beatique Filii sui multitudo viderit hominum in regno illo beatitudinis

adunatorum consistere: nonne felicem, nonne jucundum, nonne ultra quam quivis aestimare queat, statum suum judicabit in ejus consideratione ac praesentia honoratum? Virginem, inquam, de sua propagine ortam, sibi pro conditione unius naturae consimilem, prae oculis habebunt, angelis et archangelis praesidentem, omnia utpote reginam omnium cum Filio disponentem, seque dulci affectu amplectentem, sibi de collata gloria congaudentem: et fieri poterit ut ad hoc non in immensum exsultent, non se ineffabili jucunditate glorificationis conjubilent? Et quidem ad hanc dignitatem nec beatissima virginum, nec numerositas hominum electorum unquam ascendisset; si Filius Dei ad destructionem peccati Adae de sinu Patris hominem ex ipsa Virgine assumpturus non descendisset. Igitur propter peccatores Maria facta est mater Dei, quae idcirco quod ea castior, ea sanctior, ea humilior in genere humano nulla potuit reperiri, merito debuit in tantam excellentiam ab eo, quo nihil castius, nihil sanctius, sublimius est nihil, adscisci; et in quid excellentius adscisci valeret, quam ut in perpetua virginitate permanens Deum de sua carne carnem factum generaret? Hanc excellentiam contulit Deus Virgini Mariae,

eo quod illam pudicitia cordis et corporis sibi prae omni creatura intellexit adhaerere. O felix haerere! o haerere felix, haerere illi qui solus vere est, qui solus summe est, qui nunquam deficit ulli sibi non ficto corde haerenti? Huic, pia Domina, quoniam, ut dixi, adhaesisti; haesit et ipse tibi, et modo quo nec dulcius potuit adhaerere. Quid enim inter duos dulcius, aut dignius valet esse, quam esse matris ad filium, vel filii ad matrem? Et hoc utrumque vobis est, ut omnibus liquet.

26. Sed hos honores, has dignitates, haec gaudia, quibus coetus hominum coetui admixtus angelorum perfruitur, ob praevaricationem primorum hominum, num illis adscribere, num illis exinde jure debuere gratiosi exsistere? Non puto. Nec enim ea intentione praeceptum Dei praevaricati sunt, ut tot bona inde procederent; sed ut modum conditionis suae, spreto Deo, superbi excederent. In eo quippe, quo diabolum audierunt, ut dii fierent, non intenderunt, ut ad deitatem, qua se sublimandos sperabant, exterminandam[1])

---

[1]) *Exterminandam* i. e. exinaniendam secundum illud Pauli ad Phil. 2, 6 s. de Christo Jesu, *qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit.*

Filius Dei aliquando ex sua stirpe homo fieret.

27. Forte magis putavit Eva se Deum illico fore, et Adam sibi consentientem Divinitatis suae futurum consortem. O superbia intolerabilis! o stultitia inaestimabilis! o vanitas omni vanitati incomparabilis! o Eva, quam propinquior verae ac summae Deitati exstitisses, si in status tui humilitate Deo subdita perstitisses. Adam quippe, sicut Apostolus ait, in praevaricatione tua seductus non fuit (1. Tim. 2, 14): quia quod serpens pollicebatur, mendacium esse intellexit. Tu autem miserrime seducta, et e vestigio multiplici perversarum cupiditatum semine imbuta, illecebrosa facundia illum ad tibi consentiendum illexisti, praesignans in hoc opere tuo veram fore futuram sententiam viri Dei, mulieres scilicet apostatare facere etiam sapientes (Eccli. 19, 2). Necdum enim tibi praepositus fuerat ex sententia Dei, et ideo in perditionem tui et sui et universae posteritatis nostrae illa feminea sollicitatione praevaluisti. Obedivit namque voci tuae, postposita obedientia vocis Dei.

28. Vae obedire, vae non obedire: vae voci mulieris contra vocem Dei obedire, vae pro voce mulieris voci Dei non obedire:

malum hoc, malum hoc. Hinc enim omnes tribulationes et miseriae, quas passus est mundus, quas patitur, quas patietur, exortae sunt. Hinc deorsum sortitae sunt, hinc robur et perseverantiam perdiderunt; hinc ignorantia omnis boni, hinc scientia et exsecutio omnis mali, hinc Dei contemptus, hinc daemonum sub simulacrorum specie nefandissimus cultus, hinc mors vitae praesentis, hinc illi miserior mors subiens dispendia vitae sequentis. Non ergo debet vobis humana natura gratias agere quod sic in Filio Dei est exaltata et honorata; sed vobis utique, quod innumera mala, quod in geminam mortem corporis et animae est dejecta et praecipitata: nec ulla esset spes haec tanta mala aliquatenus evadendi, si flos ille speciocissimus per gloriosissimam virgam, de radice Jesse nobiliter ortam, non sumpsisset initium nascendi. Sed ipse in mundo natus ordine quo voluit, Spiritus sancti super se in gratiarum suarum plenitudine quiescentis, suis auditoribus dona distribuit; et mundum ab ignorantia veri boni, et aliis malis inde manantibus, quae incurrit per Adam, potenter eduxit; atque ad amissam regni coelestis conversationem jam alios in re, alios in spe misericorditer reduxit.

29. Patet igitur quid cui debeat genus humanum, cui quod in infima humiliatum atque prostratum, cui quod in summa est exaltatum et glorificatum. Vos igitur, o Adam et Eva, vos, vos accusat; vobis vestra progenies mala, quae sustinet, imputat; se per vos paradiso exclusam, se miseriis continuis per vos intrusam miseranda lamentatione deplorat: et non immerito quidem. Causa evidens est, nec refragari potest. Quid igitur, Deus omnium, quid faceret opus manuum tuarum, ex praevaricatione horum parentum suorum perennibus poenis et aeternae morti obnoxium, si non venires? Si non subvenires, quo fugeret, quo delitesceret, quo evaderet? Utique consilium nullum, refugium nullum, remedium nullum, nusquam protectio ulla; sed venisti, et qualiter haec omnia adipisceremur, efficaciter ostendisti. Si ergo hi qui post adventum tuum, Domine, venerunt, non salvantur; non habent praeter se ipsos, contra quos aequo judicio inde conquerantur.

30. Quid igitur facient? ut mihi quidem, Domine, videtur; ultimum et unicum consilium est omnibus qui volunt salvari, ut primo tibi intimas ex corde pro omnibus beneficiis tuis grates exsolvant, te diligant, ac

demum praeceptis tuis obediant; sicque se ad te perventuros secura fiducia sperent. Sed ad hoc, pie Pater, quis idoneus? Utique nemo, nisi tuo fultus adminiculo. Tu enim summum omnium bonorum es, qui et ipsum summum bonum es: nec quidquam boni potest esse, vel fieri, vel haberi, nisi aut a te, aut per te, aut de te. Nihil itaque boni sine te valet quisquam facere. Redemisti nos, Domine, Deus veritatis; ne propter scelera nostra exerceas contra nos judicium tuae severitatis, voluisti fieri homo pro nobis: intende ut esse possimus, quod ut essemus factus es unus ex nobis. Quod petimus, honor tuus est ut fiat. Nam si non fit, videberis a proposito tuo quodammodo defecisse. Verum nulla disceptatio nobis est tecum; quia Dominus es, et unum verbum tuum validius nostris mille. Si enim omnes justitiae nostrae coram te sunt, sicut pannus menstruatae (Is. 64, 6), quid erunt injustitiae nostrae a se ipsis et a nostris inimicis ante faciem tuam denudatae? Vae, vae, quis hinc prodeuntem perturbare mentis confusionem, quis terrifici horroris explicare poterit immanitatem? Et si confusi horroris, horridaeque confusionis immanitas est modo nobis inexplicabilis, districta malorum examinatio

in futuro examine cui erit tolerabilis? Heu peccatores homines, quos haec omnia mala ex Adam stirpe respiciunt, quid faciemus in istis? Desperabimus? Absit. Quid tunc? o fons David patens, in ablutionem menstruatae flue ad nos, et consule quid expediat nobis.

31. O pietas! vere bone Domine, video, videns gaudeo, gaudens amplector consilium, quod per singularem misericordiam tuam providisti salubrius fore nobis. Et quod vel quale? Nimirum mente, vultu, voce ad eam redire, cujus supra meminimus, dilectissimam matrem tuam, piissimam scilicet Dominam nostram, a cujus contemplationis dulcedine, a cujus castitatis contemplatione, a cujus dignitatis consideratione, a cujus sublimitatis speculatione, in has angustias, quaedam animo non abolenda commemorando, devenimus, ipsamque pura devotione interpellare, ut nobis consulat, et nobis supereminenti, qua praeeminet apud te, gratia subveniat. Procul dubio namque scimus eam tanti esse penes te; ut nihil horum quae volet efficere, aliquatenus posset effectu carere. Salus igitur nostra in voluntate sua consistit, dum tamen quod vult potenter efficiat. Quod itaque consilium salubrius

nobis, quos involvit finis seculi, daret Filius ejus finis cunctorum, quam currere ad ipsam, quae de carne sua generavit eundem ipsum, sine quo non fit ulla remissio peccatorum, qui vere bonus, vere pius, vere volens misericordiam est.

32. Et tu, Domina, ad cujus subsidium nos mittit dilectissimus Filius tuus, quid dicis nobis? ipse enim misericordia nostra est, et tu ejusdem misericordiae mater es. Quid, inquam, dicis nobis? Forsan, Domina, ut sub alarum suarum protectione confugiamus. Bene: at licet misericordiam illius, sicut decet, gratanter amplectamur, tamen justitiam ejus non parum formidamus. Ne igitur quaerentibus misericordiam, obtendat justitiam suam, precamur, adesto nobis, et age causam nostram pro nobis. Ipse namque magni consilii summus Angelus consuluit nobis venire ad te. Certe peccatores nos esse cognoscimus, et damnari meremur, et juste quidem, non negamus. Sed aeque justum esse profitemur, ut voluntatem ipsius faciat, qui voluntati suae in cunctis quae agit concordare non detrectat. Et quis unquam voluntati illius magis concors exstitit quam tu, cujus subsistentia ab impletione voluntatis ejus nunquam otiosa fuit? Velis

itaque solummodo, Domina, ut ille justissimus judex nobis misereatur: profecto justum erit, nulla ratione obsistente, ut velle tuum perficiatur. Noli ergo, noli propter misericordiam, cujus mater esse probaris, nobis deesse: quia velle tuum non postponet in salute nostra, qui ut salvemur factus est per te frater noster.

33. O mira operatio Conditoris! o immensa consolatio peccatoris! o Domina, si Filius tuus est factus per te frater noster, nonne et tu per illum facta es mater nostra? Hoc enim jam mortem pro nobis subiturus in cruce dixit Joanni, utique Joanni, nec aliud quam nos in natura suae conditionis habenti: *Ecce*, inquiens, *mater tua* (Joan. 19, 27). O peccator homo, gaude, gaude et exsulta; non est enim unde desperes, non est quod formides: quidquid judicabitur de te, totum pendet ex sententia fratris et matris tuae. Ne ergo avertas aurem cordis tui a consilio illorum. Judex tuus, videlicet frater tuus, docuit te fugere ad subsidium matris suae: et ipsa eadem mater tua monuit te protectioni alarum Filii sui fiducialiter inhaerere; seque tibi, ne ejus justitia gravareris, non negavit affuturam.

34. Maria, quid dicemus? quali organo

vocis, vel quali jubilo cordis exprimemus, quantum tibi debemus? Utique, Domina, quidquid intellexerimus, quidquid mente conceperimus, quidquid ore protulerimus, minimum est et quasi nihil ad ea, quae tibi ex aequo debemus. Tu namque ante omnem creaturam in mente Dei praeordinata fuisti, ut omnium feminarum castissima Deum ipsum verum hominem ex tua carne procreares, ut omnibus post suum Filium et[1]) tuum regina coelorum effecta gloriosa regnares, ut perdito mundo recuperationis aditum et vitae perennis emolumentum praepararés. Tu genus humanum aeternitatis gloria nudatum, per beatae fecunditatis tuae virgineum partum, in pristinum statum reduxisti. Tu leges inferni, devicto per mortem Filii tui principe mortis, evertisti. Tu denique cunctis Deum ac Dominum, quem ignorabant, visibilem et propitiatorem exhibuisti. Per te, Domina, vitam perditam in unigenito tuo recuperavimus; per te est, si quid boni sumus, sive possumus, sive habemus; per te ad aeternam gloriam quicunque sumus perventuri, perveniemus. Tu post Deum summa ac singularis consolatio no-

---

[1]) Supplevimus voculam *et*.

stra. Tu felix atque beata gloriatio nostra, tu ad regna coelorum ductrix ac subvectio nostra: tu, quaesumus, esto in ipso beatitudinis regno coelesti susceptrix et perpetua exsultatio nostra. Ergo secundum beatum et misericors consilium specialis misericordiae, dulcissimae scilicet prolis tuae ad te confugimus: tu procura ne in vanum hoc fecerimus. Re etenim vera si defeceris nobis, nihil erit tutum nobis. Ne igitur tantum attendas injustitias nostras; ut quibus huc usque prae omnibus praedita fuisti, postponas misericordias tuas. Ei qui summe omnium est, nec ab eo quod est mutari ullatenus potest, aeternaliter haeres; et ea re, quaesumus, ne jugi misericordiae, qua erga omnes hactenus usa es, alia sis quam te certissime scimus.

35. Et utique, Domina, non te decet a Filii tui voluntate discrepare, qui ad miserandum generi humano se naturae nostrae consortem vultui Patris sui non cessat perenniter demonstrare. Et ipsa naturae nostrae demonstratio quid aliud est, quam ad provocandum super nos misericordiam suam quaedam ineffabilis pietatis incitatio. In ipso enim sibi complacuisse Pater ipse testatur: nec fieri potest, ut quibus ipse vult misereri,

non misereatur. Summus igitur Pater participibus Filii sui vult misereri, et ipse Filius eos ingerit pro se conspectui misericordiae Patris sui; et tu unica mater ejusdem unici Filii Dei repelleres ab uberibus misericordiae tuae quos, ut dixi, et Pater Filii et idem ipse Filius vocant et revocant in sinum gratiae tuae? Tu exasperareris contra nos propter iniquitates nostras, cum Filius tuus, quem maxime offendimus, morti se tradidit pro delendis iniquitatibus nostris? severior videlicet illo esses super nos, cum ejusdem conditionis sis, cujus et nos, naturam tuam, Domina, excedens[1]).

36. Sed fortasse tantum amas justitiam Dei contra peccantes in eum, ut malis illum exercere vindictam, quam exhibere misericordiam. Quod si ita est, cur, Domina, cuidam olim ope tua magnopere indigenti, et quae esses nescienti, matrem te potius misericordiae dulci voce respondisti[2]) quam

---

[1]) *Naturam tuam excedens* i. e. contra naturam, indolem tuam agens, ingenitae bonitatis oblita.

[2]) Hujus responsi meminit et Anselmus or. 48. (Op. p. 278): „Memini et meminisse delectabile est, qualiter ad commendandum miseris unicum patrocinium tuum, cuidam tuo servo agenti in extremis revelasti memorabile nomen tuum. Apparens enim ei

justitiae: cum Filius tuus non minus sit vera et incommutabilis justitia, quam vera et appetibilis misericordia? Ea fortassis consideratione, quoniam si te matrem justitiae diceres, magnam non solum ei, quem in angustia positum omni misericordia (postposita justitiae severitate) opus habere sciebas; verum etiam nobis pauperibus tuis spem veniae tolleres, et singularis refugii ostium crudelem humani generis persecutorem fugientibus quodammodo inimicis occluderes. Quis enim cum justitia Dei judicium subiens, non ut vestimentum conteritur, non deterius quam a tinea devoratur?

37. Quapropter, pia Domina, dulcis et clementissima Domini mater, attende fragilitatis nostrae gravem necessitatem; et ostende super nos effectu te esse, quod jucundo affectu te esse cognovisti: quod si feceris, ad nos salvandos Filio tuo et Patri suo procul dubio concors eris. Benignissimus quippe Filius tuus desiderat salutem nostram; et in tantum, ut quo illam incom-

---

cum esset in angustiis et requirens, utrum te agnosceret, cum ille *minime, Domina,* tremens responderet, tu ei pro benignitate tua quam blande, quam familiariter tu, domina, dixisti: *Ego sum misericordiae mater.*“

mutabilem et aeternam faceret, aeternitatem suam momentanea mutabilitate nostra indueret. Verax quoque et justissimus Pater suus ita sibi per omnia complacet, ut nihil eorum nolit, quae illum velle intelligit. Velis itaque solummodo quod vult ipse: nihil restabit quod possit obsistere saluti nostrae. Sed te non velle quod Deus vult, nefas est vel opinari. Gaude igitur et exsulta, humana natura; omnia quippe tibi prospera Christus Filius sanctae Mariae paravit, dum se ex ea propter te in substantiae tuae veritate creavit.

38. Domina, Domina, quod ego qualiscunque homuncio, et vere magnus peccator hoc corde impuro de te meditari, foetido ore effari, pollutis digitis ausus fui describere, parce, quaeso, parce, et miserere. Nosti enim, pia Domina, hoc me ita praesumpsisse, quia talem me confiteor esse, ut nec coelo nec terra me judicem dignum esse: et ideo nimis anxius vellem, si quo modo valerem, eniti quatenus aliquo miserationis suae intuitu super me Deus intenderet, qui sua ineffabili gratia vel modicum sancti amoris affectum erga benignitatis tuae dulcedinem in me accenderet. Confido quippe quoniam si hoc faceres, ab his quae merui poenis inferni, sua miseratio tuaque subventio me

forte redimeret. Quapropter, Domina, ne indigneris quasi audaci et praesumptuoso: quia si quid horum in istis esse videtur, mea gravis necessitas compulit, et tua grandis et omni seculo probata bonitas suasit.

39. Ultima ergo atque summa votorum meorum intentio est, ut vel in extremo examine justissimi Filii tui, si me, remota misericordia, severa sententia crudeli tortori damnandum tradiderit, subvenias, et me ad inferos rapienti occurras, ac manica misericordissimae defensionis tuae protectum, ne in aeternum damner, eripias. Et quidem, Domina, quondam parvulis, et forte mihi, si non fallor, hoc a matronis, cum ad verbera raperentur a paedagogo, impensum reminiscor: et ob hoc illis nonnulli valde gratiosi fuerunt, ac pietatis viscera, quibus in eorum pia liberatione usae sunt, magnifice praedicaverunt. Si ille igitur pro tantilla gratia: quibus, quaeso, praeconiis a coeli civibus, qui de peccatorum salvatione gratulantur, praedicaberis, cum mei magna peccatoris, ut dixit, miserta fueris? Utique beatus et bonus Filius tuus Dominus Jesus dicit, ita gaudium esse in coelis angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non

indigent poenitentia (Luc. 15, 7). Cum ergo pro poenitente fiat gaudium in coelis, quoniam in eo quod illum malorum suorum poenitet, tendit ad salutem: quale gaudium erit, Domina, quando aliquis liberatus ab omni malo pervenit ad ipsam salutem? Si igitur me a meritis poenis liberatum, aeternae salutis participem feceris, nimium totam curiam regni coelorum exhilarabis.

40. Quapropter, piissima Domina mater, ne parvipendas enormem immanitatem criminum meorum, ut postponas magnitudinem gaudiorum pro remissione illorum congratulantium angelorum. Domina, Domina, quid futurus vel facturus sim penitus ignoro; et ideo quidquid de me sit eventurum, praesentem postulationem ne oblivioni tradas; obsecro piissimam dilectionem, qua diligis unicum Filium tuum, ut me peccatorem a mortis auctore transferas in sortem vitae aeternae; et tu singulare praesidium omnium ad te confugientium, vere et unice Fili hujus castissimae virginis Dominae meae, rogo te per dilectionem, qua diligis ipsam dulcissimam matrem tuam, sentiam quandoque per effectum, quod mihi per eandem piissimam genitricem tuam opto impendi, tepido licet, tamen qualicunque affectu. Quod si multi-

tudo scelerum meorum justitiam tuam ad me damnandum magis erexit, quam pietas matris tuae misericordiam tuam ad parcendum inclinaverit: tu, qui ubique praesens, et in omni loco aeque potens es, aliquod mihi tuae protectionis, quo ab inimicis meis abscondar, obstaculum inveni; ne praeda daemonum factus, detrudar in profunditatibus malorum inferni: ac si nihil merear exaudiri, saltem in inferno constitutum memoria et cognitione sancti nominis tui privari non sinas, ne satanae similis et cohaeres justitiam tuam reprehendam, sicque aequitatis tuae examen perversi murmuris obstinatione gravius feram.

41. Bone Domine, bone, si in his omnibus aures misericordiae tuae mihi occludis, profecto non video quid amplius rogem, quod largitatem misericordiarum tuarum mihi impendat, et haec ignorantia nimirum ex multitudine iniquitatem mearum mihi provenit. Nam si densis illarum tenebris obvolutus non essem, tu, qui lux es indeficiens, non mihi deficeres; sed ignorantiae meae tenebras radio tuae claritatis abigeres: sicque in lumine tuo constitutus viderem te non esse Deum volentem iniquitatem, et tamen nosse et posso habere cum pia volun-

tate inaestimabilibus modis subveniendi lapsis et oppressis miseria et iniquitate; et hoc, Domine, sic esse firmissime credo: ac per hoc intimo corde teneo et ore profiteor quia quidquid de me feceris, qualicunque, videlicet malorum pondere presseris, nullo injustitiae livore turbatus in his pertraheris. Sic quoque deletis ac dimissis peccatis nostris, talis esto erga nos propter dulcem amorem dilectissimae matris tuae, ut[1]). . . . Virginis humanam de suae carnis substantia verum hominem genuisse. Amen.

---

[1]) Hic aliqua desunt.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

DE PERPETUA VIRGINITATE B. MARIAE

ADVERSUS HELVIDIUM.

LIBER UNUS.

---

1. Nuper rogatus a fratribus, ut adversus libellum cujusdam Helvidii responderem, facere distuli; non quod difficile fuerit, hominem rusticanum, et vix primis quoque imbutum literis super veri assertione convincere; sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur. Huc accedebat, quod homo turbulentus [1]) et solus in universo

---

[1]) *Huc accedebat, quod homo* etc. Editi h. l. ita legunt: *Huc accedebat, quod verebar, ne homo turbulentus et solus in universo mundo simul laicus et sacerdos; qui (ut ait ipse) loquacitatem* etc. Codices mss. secuti sumus, qui non legunt verbum *verebar* additum ineditis, et qui pro *simul* omnes retinent *sibi* congruo sensu: nam Helvidius sibi erat

mundo sibi et laicus et sacerdos (qui, ut ait ille, loquacitatem facundiam existimat; et maledicere omnibus, bonae conscientiae signum arbitratur), accepta materia disputandi, amplius inciperet blasphemare, et quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam, meque, quia veritate non posset, laceraret conviciis. Verum, quia hae omnes tam justae silentii mei causae, ob scandalum fratrum, qui ad ejus rabiem movebantur, justiori fine cessarunt, jam ad radices infructuosae arboris Evangelii securis est admovenda, et cum infecunditate foliorum tradenda flammis: ut discat aliquando reticere, qui nunquam didicit loqui.

2. Igitur sanctus mihi invocandus est Spiritus, ut beatae Mariae virginitatem suo sensu, ore meo defendat. Invocandus est Dominus Jesus, ut sacri ventris hospitium, cujus decem mensibus inhabitator fuit, ab omni concubitus suspicione tueatur. Ipse

---

laicus et sacerdos, non Ecclesiae Christi, apud quam monstrum habebatur, non sacerdos. Martianaeus. Tertullianum porro suppresso nomine infra designat, qui ita adversus Hermogenem c. 1. scribit: „Homo in seculo et natura quoque haereticus, etiam turbulentus, qui loquacitatem facundiam existimet, et impudentiam constantiam deputet, et maledicere singulis officium bonae conscientiae judicet.“

quoque Deus Pater est imprecandus, ut matrem Filii sui virginem ostendat fuisse post partum, quae fuit mater[1]) ante quam nupta. Non campum rhetorici desideramus eloquii: non dialecticorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquirimus: ipsa Scripturarum verba ponenda sunt; ipsis, quibus adversum nos usus est, testimoniis revincatur: ut intelligat se et legere potuisse quae scripta sunt, et non potuisse, quae pietate roborata sunt, cognoscere.

3. Prima ejus propositio fuit: „Matthaeus loquitur: Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, priusquam convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu sancto: Joseph autem, vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Do-

---

[1]) Nimirum quia ex Spiritu s. conceperat, antequam ex sponsa fieret uxor Josephi. Sunt antem qui *nubere* et *nuptam* pro carnali cum viro copula accipiant, unde in scholiis s. Cyrilli de Incarnatione Domini c. 25: „Natus est enim ex Virgine et solus habet matrem innuptam“ i. e. quae cum marito concongressa nunquam fuit. Hoc sensu etiam Tertulianus in Apologetico, *nullam de impudicitia matrem habere Dei Filium* asserens, *etiam*, inquit, *quam videbatur habere, non nupserat.* Vallarsi.

mini in somnis apparuit ei, dicens: Joseph, filii David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam, quod enim natum est in ea, de Spiritu sancto est (Matth. 1, 18 ss.). Ecce, inquit, habes *desponsatam*, non *commendatam*[1]), ut dicis; et utique non ob aliud desponsatam, nisi quandoque nupturam, neque enim de non conventuris evangelista dixisset: Priusquam convenirent: quia nemo de non pransuro dicit, antequam pranderet. Deinde ab angelo uxorem appellatam et conjunctam. Audiamus nunc, quid Scriptura pronunciet. Exsurgens, inquit, Joseph a somno, fecit sicut praeceperat ei angelus Domini; et accepit uxorem suam; et non cognovit eam, donec peperit filium suum."

4. Curramus per singula, et impietatem eisdem, quibus ingressa est, vestigiis persequentes, pugnantia inter se dixisse doceamus. *Desponsatam* confitetur, et statim *uxorem* vult esse, quam confessus est sponsam. Rursum quam uxorem nominat, dicit non ob aliud desponsatam, nisi quandoque nupturam. Et ne parum hoc arbitremur:

---

[1]) *Non commendatam.* Urget Helvidius verba evangelistae qui, non dixit, Mariam fuisse commendatam s. Josepho ejusque tutelae commissam, sed ei *desponsatam.*

„Habes, inquit, desponsatam, et non commendatam, id est, necdum uxorem, necdum maritali vinculo copulatam.“ In eo vero, quod ait: „Neque enim de non conventuris evangelista dixisset: Priusquam convenirent: quia nemo de non pransuro dicit, antequam pranderet:“ doleam ne, an rideam, nescio: imperitiae arguam, an temeritatis accusem? Quasi si quis dixerit: Antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit; aut si velimus dicere: Paulus apostolus, antequam ad Hispanias pergeret, Romae in vincula conjectus est: aut certe illud: Helvidius, antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est: statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum: aut Helvidio poenitentia agenda post mortem; cum Scriptura dicat: „In inferno autem quis confitebitur tibi (Psal. 6, 6)?“ ac non potius sit intelligendum, quod, *ante*, praepositio, licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum, quae prius cogitabantur, ostendat. Unde nec necesse sit, ut cogitata fiant, cum aliud ideo intervenerit, ne ea, quae cogitata sunt, fierent. Igitur cum evangelista dicat: Priusquam convenirent, proximum nuptiarum tempus ostendit; et in

eo jam rem fuisse, ut quae prius sponsa fuerat, esse uxor inciperet; quasi dixerit: ante quam oscula amplexusque miscerent; antequam rem agerent nuptiarum, inventa est habens in utero. Inventa est autem a nullo alio, nisi a Joseph, qui sponsae uterum tumentem pene jam licentia maritali et curiosis oculis deprehendit. Non tamen sequitur, ut prioribus docuimus exemplis, eum cum Maria convenisse post partum, cujus conveniendi desiderium uteri conceptione sublatum est. Quod autem in somnis dicitur ad Joseph: „Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam.“ Etrursum: „Exsurgens autem Joseph a sommo, fecit sicut praecepit ei angelus Domini; et accepit uxorem suam:“ nullum movere debet, quasi ex eo, quod uxor est appellata, sponsa esse desierit: cum hanc esse Scripturae divinae consuetudinem noverimus, ut sponsas appellet uxores: sicut in sequentibus Deuteronomii testimoniis approbatur: „Si quis, inquit, invenerit virginem desponsatam viro in campo, et vim faciens dormierit cum ea, morte moriatur: quia humiliavit uxorem proximi sui (Deut. 22, 25).“ Et in alio loco: „Si autem fuerit adolescentula desponsata viro et invenerit homo eam in civitate, et dormierit cum ea, educetis

utrumque ad portas civitatis illius, et lapidabuntur lapidibus, et morientur: adolescentula quidem, quia non proclamavit, cum esset in civitate: vir autem, quia humiliavit uxorem proximi sui: et eradicabitis malum ex vobismetipsis (Deut. 23 s.).“ Necnon et alibi: „Et quis est ille homo, cui desponsata est uxor, et non accepit eam? Vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et homo alius accipiat eam (Deut. 20, 7).“ Si cui autem scrupulus commovetur, quare desponsata, et non potius sine sponso, sive, ut Scriptura appellat, marito, virgo conceperit: sciat triplicem fuisse rationem[1]): primo, ut per genealogiam Joseph, cujus Maria cognata erat, origo quoque Mariae monstraretur: secundo, ne juxta legem Moysi, ut adultera lapidaretur a populo: tertio, ut ad Aegyptum fugiens, haberet solatium custodis potius, quam mariti. Quis enim in tempore illo credidisset, virgini, de sancto eam Spiritu concepisse venisse ad eam angelum Gabriel, Dei detulisse mandatum: ac non magis, quasi

---

[1]) Confer quae supra de desponsationis hujus ratione secundum patres doctissime disserit s. Thomas 3. p. q. 29. a. 1. annot. ad h. 2. n. 12. s. Bernardi p. 88.

adulteram, juxta exemplum Susannae sententiae omnium condemnassent (Dan. 13): cum hodie, toto jam credente mundo, argumententur judaei, Isaia dicente: „Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium (Isa. 7, 14):" in hebraeo juvenculam scriptum esse, non *virginem*, id est, *alma*, non *bethula*? Adversus quos in alio loco competentius disseremus. Denique excepto Joseph et Elisabeth, et ipsa Maria, paucisque admodum, si quos ab his audisse possumus aestimare, omnes Jesum filium aestimabant Joseph: intantum ut etiam evangelistae, opinionem vulgi exprimentes, quae vera historiae lex est, patrem eum dixerint Salvatoris: ut ibi: „Et venit in spiritu in templum (haud dubium quin Simeon), et cum inducerent parentes ejus puerum Jesum, ut facerent de illo secundum consuetudinem legis (Luc. 2, 27)." Et alibi: „Et erant pater illius et mater admirantes super his, quae dicebantur de eo (Ib. 33)." Et rursum: „Et ibant parentes ejus per annum in Jerusalem in sollemni die Paschae." Ac deinde: „Et completis diebus cum reverterentur, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus (Luc. 2, 41. 43)." Ipsa quoque Maria, quae ad

Gabrielem responderat, dicens: „Quo modo erit hoc, quia virum non cognosco (Ib. 1, 34)?“ quid de Joseph loquitur, ausculta: „Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te (Luc. 2, 48).“ Non hic judaeorum, ut plerique argumentantur, non illudentium vox est. Evangelistae patrem Joseph dicunt: patrem Maria confitetur. Non quod, ut superius indicavi, vere pater Joseph fuerit Salvatoris: sed quod ad famam Mariae conservandam, pater sit ab omnibus aestimatus: qui antequam moneretur ab angelo: „Joseph, fili David, ne timueris accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (Matth. 1, 20):“ cogitabat occulte dimittere eam, intantum suum non esse, qui conceptus fuerat, confidebat. Sed jam satis docendi magis, quam respondendi studio disputatum est, cur Joseph pater Domini, cur Maria appellata sit conjux: in quo et hoc breviter continetur, cur fratres ejus quidam esse dicantur.

5. Verum quia suum locum huic quaestiunculae reservamus, et ad reliqua festinat oratio: nunc illud est disserendum, quo modo Scriptura dicat: „Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Do-

mini; et accepit uxorem suam; et non cognovit eam, donec peperit filium, et vocavit nomen ejus Jesum (Matth. 1, 24 s.)." In quo primum adversarius superfluo labore desudat, cognoscendi verbum ad coitum magis, quam ad scientiam esse referendum: quasi hoc quisquam negaverit, et eas ineptias, quas redarguit, aliquando prudens quispiam potuerit suspicari. Deinde vult docere, quod, *donec*, sive, *usque*, adverbium, certum tempus significet; quo completo, fiat id quod usque ad illud temporis, quod praescriptum est, non fiebat, velut in praesenti: „Et non cognoscebat eam, donec peperit filium." Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cujus cognitionem filii tantum differebat generatio. Et ad hoc approbandum congerit de Scripturis exempla quamplurima, more andabatarum [1]) gladium in tenebris ventilans, et linguae sonum ad confodienda sui tantum corporis membra concutiens.

6. Ad quod nos breviter respondemus: et *cognoscebat*, et *donec*, et *usque*, sermo-

---

[1]) *More andabatarum.* Mos erat andabatarum sive gladiatorum hujusmodi, clausis oculis pugnare. Unde ipse Hieronymus l. 1. in Jovinianum: „Melius tamen est clausis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare." Martianaeus.

nem, in Scripturis sanctis dupliciter intelligi. Et de eo quidem, quod scriptum est, *cognoscebat*, ad coitum esse referendum, ipse disseruit, nullo dubitante, quin ad scientiam saepe referatur, ut ibi: „Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus (Luc. 2, 43).“ Nunc illud est ostendendum, ut quo modo ibi consuetudinem Scripturae secutus est, sic etiam in *donec* ejusdem Scripturae auctoritate frangatur: quae saepe certum tempus (ut ipse disseruit), in ejus assumptione significat, saepe infinitum, ut est illud, quod Deus ad quosdam loquitur in propheta: „Ego sum, ego sum: et donec senescatis, ego sum (Is. 46, 4).“ Numquid postquam illi senuerint, Deus esse desistet? Et Salvator in Evangelio ad apostolos, „Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi (Matth. 28, 20).“ Ergo post consummationem seculi a discipulis suis Dominus abscedet; et tunc, quando in duodecim soliis judicaturi sunt duodecim tribus Israël, Domini consortio fraudabuntur? Paulus quoque apostolus Corinthiis scribens, „Primitiae, ait, Christus: deinde hi, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt: deinde finis, cum tradiderit re-

gnum Deo et Patri, cum destruxerit omnem principatum, et omnem potestatem, et virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus: omnia enim sub pedibus ejus subjecit (I. Cor. 15, 23 ss.)." Esto, de homine dictum sit: non negamus, de eo, qui passus est crucem, qui postea sedere jubetur a dextris, quid sibi vult hoc, quod ait: „Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus?" Numquid tamdiu regnaturus est Dominus, donec incipiant esse inimici sub pedibus ejus; et postquam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet; cum utique tunc magis regnare incipiet, cum inimici coeperint esse sub pedibus? David quoque in quarto graduum psalmo: „Sicut oculi ancillae, ait, in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri (Psal. 122, 3)." Ergo tamdiu propheta oculos habebit ad Dominum, quamdiu misericordiam impetret et post impetratam misericordiam oculos torquebit in terram? Qui in alio loco dicit: „Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in verbum justitiae tuae (Psal. 118. 123)." Poteram super hoc innumerabilia exempla congerere, et omnem lacessentis procacitatem

testimoniorum nube caelare: verum adhuc pauca subjiciam, ut his similia ipse sibi lector inveniat.

7. Loquitur in Genesi sermo divinus: „Et tradiderunt Jacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, et inaures, quae erant in auriculis eorum. Et abscondit ea Jacob subter terebinthum, quae est in Sichimis, et perdidit ea usque in hodiernum diem (Gen. 35, 4 sec. LXX)." Item in fine Deuteronomii: „Et defunctus est Moyses, servus Domini, in terra Moab per verbum Domini, et sepelie runt eum in Geth prope domum Phegor, et nemo scit sepulcrum ejus usque in diem istum (Deut. 34, 6)." Certe hodiernus dies illius temporis existimandus est, quo historia ipsa contexta est, sive Moysen dicere volueris, auctorem pentateuchi, sive Esdram, ejusdem instauratorem operis, non recuso. Nunc hoc quaeritur, an id, quod dictum est, *usque in diem istum,* ad illam referatur aetatem, qua libri editi, sive conscripti sunt. Doceat igitur, post illam diem tot jam annorum usque ad nos voluminibus exactis, aut idola, quae sub terebintho condita fuerant, reperta, aut Moysi tumulum investigatum: quia obnixe asserit, post *donec* et *usque* esse incipere, quod tam-

diu non fuit, quamdiu *usque* compleretur et *doneo*, quin potius animadvertat Scripturae sanctae idioma, et nobiscum, in quo haesitabat, intelligat ea, de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, signari; cetera vero nostrae intelligentiae derelinqui. Si enim adhuc recenti tempore viventibus his, qui viderant Moysen, sepulcrum ejus potuit ignorari: multo magis tot seculis praetereuntibus. Juxta quod et illud intelligitur de Joseph, evangelistam id indicasse, de quo scandalum poterat moveri, non eam cognitam esse a viro suo usque ad partum: ut multo magis intelligeremus, cognitam non fuisse post partum, a qua tunc se abstinuit, cum adhuc de visione poterat fluctuare.

8. Ad summum, illud requiro, quare se abstinuerit Joseph usque ad partus diem. Respondebit utique, quia angelum audierat dicentem: „Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.“ Ad quod nos inferimus. Et certe audierat: „Joseph, fili David, ne timeas accipere Mariam uxorem tuam.“ Prohibitum ei fuerat, ne relinqueret, ne adulteram existimaret uxorem. Numquid et a congressu conjugis separatus fuerat, cum utique, ne separaretur, magis fuisset admonitus? Et

audebat, inquit, vir justus, Dei in utero audiens filium, de uxoris coitu cogitare? Pulcre. Qui ergo somnio tantum credidit, ut uxorem non auderet attingere; is postquam pastorum voce cognoverat angelum Domini venisse de coelis, et dixisse ad eos: „Nolite timere: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David:“ et cum eo laudes militiae concinuisse coelestis: „Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonae voluntatis (Luc. 2, 10 s.):“ qui Simeonem justum inter amplexus parvuli viderat praedicantem: „Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum (Ib. 27),“ qui Annam prophetissam, magos, stellam, Herodem, angelos viderat, qui, inquam, miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere? Et certe Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Ac ne impudenter neges ista ignorasse Joseph: „Et erant, inquit Lucas, pater illius et mater admirantes super his, quae dicebantur de eo (Luc. 2, 33).“ Licet tu mira impudentia haec in graecis codicibus falsata

contendas, quae non solum omnes pene Graeciae tractatores in suis voluminibus reliquerunt, sed nonnulli quoque e latinis, ita ut in graecis habentur, assumpserint. Nec necesse est nunc de exemplariorum varietate tractare, cum omne et veteris et novae Scripturae instrumentum in latinum sermonem exinde translatum sit, et multo purior manare credenda sit fontis unda, quam rivi.

9. „Haec, ais, apud me nugae sunt, et argumentationes superfluae, et disputatio magis curiosa, quam vera. Numquid non potuit Scriptura dicere: Et accepit uxorem suam, et non fuit amplius ausus contingere eam: sicut de Thamar dixit et Juda (Gen. 38, 26)? aut defuerunt Matthaeo verba, quibus id, quod intelligi volebat, posset effari? Non cognovit, inquit, eam, donec perperit filium. Post partum ergo cognovit, cujus cognitionem ad partum usque distulerat.“

10. Si tam contentiosus es, jam nunc tua mente superaberis. Nolo mihi aliquod inter partum et coitum tempus interseras. Nolo dicas: „Mulier quaecunque concepit et peperit masculum, immunda erit septem diebus, secundum dies secessionis et purgationis suae immunda erit; et octavo die circumcidet carnem praeputii ejus; et tri-

ginta tribus diebus sedebit in sanguine puro; et omne sanctum non tanget (Lev. 12, 2, 3):" et reliqua. Statim eam invadat Joseph: statim audiat per Hieremiam: „Equi insanientes in feminas facti sunt mihi: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (5, 8)." Alioqui quo modo stare poterit: „Non cognovit eam, donec peperit filium," si post purgationis tempus exspectat; si quadraginta rursum diebus tanto tempore dilata libido differtur? Polluatur cruore puerpera: obstetrices suscipiant parvulum vagientem: maritus lassam teneat uxorem. Sic incipiant nuptiae, ne evangelista mentitus sit. Sed absit, ut hoc de matre Salvatoris, et viro justo sit aestimandum[1]). Nulla ibi obstetrix:

---

[1]) Plures redduntur a patribus rationes, quare s. Josephus post virginis partum initum non consummaverit matrimonium. Praeter Virginis votum, de quo supra ad hom. 4. n. 3. s. Bernardi patres audivimus, hanc affert Epiphanius (haer. 78. n. 8): „Ambo erant utique justi, neque qui hoc semel audiisset fetum illum, quem in utero ipsa gestabat de Spiritu esse sancto, post tantam Dei administrationem vase illo auderet uti, quod eum capere meruerat, quem ob excellentem gloriam coelum ac terra continere non possunt. Nam si hoc ipso tempore virgines in ejus nomine perseverare in illo statu ac castimoniam et continentiam servare contendunt, quanto major Josephi religio ac Mariae, quae, ut scriptum est (Luc.

nulla mulierculārum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem: ipsa et mater, et obstetrix fuit." Et collocavit eum, inquit,

---

2, 19), omnia in corde suo conferebat. Cujusmodi vero erat illud, post tale tantumque mysterium decrepitum senem cum virgine castissima et honoratissima consuescere, cum eo, inquam, vase, quod eum qui capi non potest, ceperat, ac tam stupendum prodigii coelestis et humanae salutis mysterium complexum fuerat?" Egregie vero hac de re disserit Thomas (3. p. q. 28. a. 3): „Respondeo dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam et alios filios genuisse. Hoc enim *primo* derogat Christi perfectioni, qui secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus: ita decuit, ut esset unigenitus matris tamquam perfectissimum germen ejus. *Secundo* hic error injuriam facit Spiritui s., cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem virilem. *Tertio* derogat dignitati et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset: et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. *Quarto* etiam ipsi Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante angelo de Spiritu s. Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et simpliciter est asserendum, quod mater Dei sicut virgo concepit et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum sempiternum permansit."

in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio (Luc. 2, 7).“ Quae sententia et apocryphorum deliramenta[1]) convincit, dum Maria ipsa pannis involvit infantem; et Helvidii expleri non patitur voluptatem, dum in diversorio locus non fuit nuptiarum.

11. Verum, quia jam satis abundeque respondimus ad id quod proposuerat: *Antequam convenirent*, et *non cognovit eam donec peperit filium*: ad tertiam veniendum est quaestionem, ut juxta disputationis ejus ordinem, etiam nostrae responsionis ordo procedat. Vult enim alios quoque filios Mariam procreasse: et ex eo, quod scriptum est: „Ascendit autem Joseph in civitatem David, ut profiteretur cum Maria (desponsata) sua uxore praegnante. Factum est autem cum ibi essent, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum (Luc. 2, 4 ss.):“ nititur approbare primogenitum non posse dici, nisi eum, qui habeat et fratres: sicut unigenitus ille vocatur, qui parentibus solus sit filius.

12. Nos autem ita definimus: Omnis unigenitus est et primogenitus: non omnis pri-

---

1) In decreto Gelasii inter apocrypha rejicitur singularis liber *de s. Maria et obstetrice.*

mogenitus est unigenitus. Primogenitus est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus. „Omne, inquit Dominus ad Aaron, quod aperit vulvam ab omni carne, quae offertur Domino, ab homine usque ad pecus, tibi erunt: tantummodo pretiis redimant primogenita hominum, et primogenita pecorum immundorum (Ex. 34, 19 s.).“ Definivit sermo Dei, quid sit primogenitum: „Omne, inquit, quod aperit vulvam.“ Alioqui, si non est primogenitus, nisi is tantum, quem sequuntur fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata; ne forte, partu postea non sequente, unigenitus sit et non primogenitus. „Redemptio, inquit, ejus erit ab uno mense aestimatio quinque siclorum. Siclus, secundum siclum sanctuarii, viginti oboli sunt. Tantummodo primogenita vitulorum, et primogenita ovium, et primogenita caprarum non redimes, quia sancta sunt (Num. 18, 16 s.).“ Cogit me sermo Dei, ut omne (masculinum), quod aperit vulvam, si de mundis animalibus sit, Deo voveam, si de immundis, redimam, dans pretium sacerdoti. Possum respondere, et dicere: Quid me in unius mensis stringis articulo? Quid primogenitum vocas, quem an fratres sequan-

tur, ignoro? Exspecta donec nascatur secundus. Nihil debeo sacerdoti, nisi et ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus est, incipiat esse primogenitus. Nonne mihi ipsi apices loquentur et me stultitiae redarguent, eum esse dictum primogenitum, qui aperiat vulvam, non qui habeat et fratres? Denique interrogo de Joanne, quem constat esse unigenitum, an et primogenitus fuerit? Utrum ne et ipse secundum legem, pro toto ei legi fuerit obnoxius? ambigi non potest. Certe de Salvatore Scriptura sic loquitur: „Cum expleti essent dies purgationis eorum, secundum legem Moysi, duxerunt eum in Jerusalem, ut offerrent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur: et ut darent hostias, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum (Luc. 2, 22 ss.).“ Si haec lex tantum ad primogenitos pertinet, primogenitum autem sequentes faciunt: non debuit lege primogeniti teneri, qui de sequentibus ignorabat; sed quia tenetur lege primogeniti etiam ille, quem fratres ceteri non sequuntur: colligitur, eum primogenitum vocari, qui vulvam aperiat, et ante quem nullus sit, non

eum, quem frater postgenitus subsequatur. Moyses scribit in Exodo: „Factum est autem circa mediam noctem, et Dominus percussit omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat super thronum ejus, usque ad primogenitum captivae, quae est ad lacum, et omne primogenitum pecoris (Exod. 12, 29).“ Responde mihi: Qui tunc ab exterminatore fuerant interempti, primogeniti fuerunt, an et unigeniti? si primogeniti tantum illi vocantur, qui fratres habent: ergo ab internecione unigeniti liberati sunt; si autem et unigeniti caesi sunt, contra sententiam factum est, ut inter primogenitos et unigeniti morerentur: aut unigenitos liberabis a poena, et ridiculus eris: aut si confiteberis interfectos, ingratis obtinebimus, et unigenitos primogenitos appellari.

13. Extrema propositio fuit (licet id ipsum in primogenito voluerit ostendere), fratres Domini in evangeliis nominari, ut ibi: „Ecce mater ejus, et fratres ejus stabant foris, quaerentes loqui cum eo (Matth. 12, 47).“ Et alibi: „Post haec descendit Capharnaum ipse et mater ejus, et fratres ejus (Joan. 2, 12).“ Et ibi: „Dixerunt ergo fratres ejus ad eum: Transi hinc, et vade in

Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quaė facis. Nemo enim aliquid in occulto faciens, quaerit ipse in palam esse. Si haec facis, manifesta te ipsum mundo (Joan. 7, 3, 4).“ Joanne desuper inferente: „Neque enim fratres ejus tunc credebant in eum.“ Item Marcus et Matthaeus: „Et docebat eos in synagoga eorum in patria sua, ita ut stuperent, et dicerent: Unde huic omnis haec sapientia et virtutes? Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas, et sorores ejus omnes apud nos sunt (Mar. 6, 3; Matth. 13, 54)?“ Lucas quoque in Actibus apostolorum ita refert: „Hi omnes erant instantes unanimes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ipsius (Act. 1, 14).“ Necnon et Paulus apostolus in eadem historiae veritate pari voce concordat: „Ascendi autem secundum revelationem, et neminem vidi apostolorum nisi Petrum et Jacobum, fratrem Domini (Gal. 1, 19).“ Et rursum in alio loco: „Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem uxores[1]) circumducendi, sicut et

---

[1]) Victorius *mulieres* legit pro *uxores*, qui et

ceteri apostoli et fratres Domini, et Cephas (1. Cor. 9, 4)?" Et ne forte aliquis judaeorum testimonium non admitteret, qui etiam

---

falsi impressam lectionem pluribus accusat, atque ex eo praecipue, quod et si ex ipso Hieronymi sensu vox graeca γυνή communis sit uxori et mulieri significandae, certum sit tamen, Apostolum h. l. intelligere de mulieribus, quae apostolis ministrabant. In cujus rei testimonium affert s. doctoris expositionem ex 1. c. Jovinianum l. n, 26: „Si autem, inquit, nobis illud opposuerit ad probandum, quod omnes apostoli uxorem habuerint: *Numquid non habemus potestatem mulieres vel uxores circumducendi* (quia γυνή apud graecos utrumque significat), *sicut ceteri apostoli, et Cephas, et fratres Domini*, jungat illud quod et in graecis codicibus est: *Numquid non habemus potestatem sorores mulieres vel uxores circumducendi?* Ex quo apparet eum de aliis sanctis dixisse mulieribus, quae juxta morem judaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum etc." Ex quibus tamen minime evincitur *mulieres* pro *uxores* legisse; bene vero quid eo vocabulo esset intelligendum. Hujusmodi autem res est, non *uxores* tantum aut *mulieres* legi, sed junctim vel *mulierem sororem*, ut in latino interprete, vel *sororem mulierem*, ut in graeco textu, ἀδελφὴν γυναῖκα. Plures autem ex antiquis plurium numero *mulieres* legunt. Tertullianus de monog. c. 8. et de pudic. c. 14; Hieronymus in Matth. c. 27; et ad Eustochium ep. 22 (in hac ed. 4. n. 20.); Ambrosiaster, Sedulius aliique *sorores mulieres*. Qui vero *uxores* simpliciter legerent, hactenus non invenimus. Vallarsi.

nomina fratrum illius ediderunt, simili eos asserens in fratribus errore deceptos, quo in patre aestimando, sunt lapsi; argute praecavit, et ait: „Haec eadem vocabula ab evangelistis in alio loco nominari, et eosdem esse fratres Domini filios Mariae.“ Matthaeus loquitur: „Erant autem ibi (haud dubium, quin ante crucem Domini) et mulieres multae a longe spectantes, quae secutae fuerant Jesum a Galilaea, ministrantes illi; inter quas erant Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedaei (Matth. 27, 55, 56).“ Item Marcus: „Erant autem et mulieres a longe aspicientes, inter quas erant Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater et Salome:“ ibique post modicum: „Et aliae multae, quae ascenderant cum eo in Jerusalem (Mar. 15, 40).“ Necnon et Lucas: „Erant autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceterae cum eis (Luc. 24, 10).“

14. Haec idcirco replicavimus, ne calumnietur et clamitet, ea quae pro se faciant, a nobis esse subtracta, et sententiam suam non testimoniis Scripturarum, sed lubrica disputatione convulsam: „Ecce, inquit, Jacobus et Joseph, filii Mariae, iidem quos judaei

fratres appellaverunt. Ecce Maria Jacobi minoris et Josetis mater. Minoris autem Jacobi, ad distinctionem majoris, qui erat filius Zebedaei, sicut et in alio loco Marcus ponit. Maria autem Magdalene, et Maria Jacobi et Josetis, viderunt ubi poneretur, et, transacto sabbato, emerunt aromata, et venerunt ad monumentum (Mar. 15, 47). Et utique ait: Quam miserum erit et impium, de Maria hoc sentire, ut cum aliae feminae curam sepulturae Jesu habuerint, matrem ejus dicamus absentem: aut alteram esse Mariam, nescio quam, confingamus: praesertim cum Evangelium Joannis testetur praesentem eam illic fuisse, quando illam de cruce Dominus jam viduam, ut matrem Joanni commendabat. Aut numquid evangelistae et falluntur et fallunt, ut eorum Mariam matrem dicerent, quos judaei fratres Jesu esse dixerunt."

15. O furor caecus, et in proprium exitium mens vesana. Dicis, ad crucem Domini matrem ejus fuisse praesentem: dicis, Joanni discipulo ob viduitatem et solitudinem commendatam; quasi juxta te non haberet quatuor filios, et innumeras filias, quarum consortio frueretur[1]). Viduam quo-

---

[1]) Libenter patres ad haec Christi verba provo-

que nominas, quod Scriptura non loquitur. Et cum omnia evangelistarum exempla

---

cant ad perpetuam Mariae virginitatem confirmandam; ex illis enim sequitur Mariam, secus ac Helvidius cum suis supponebat, filiis quibus commendaretur caruisse. Ita Isidorus pelusiota l. 1. ep. 18. contra judaeos disputans: „Istud postremo Domini testamentum liquido demonstrat, qui quo tempore in cruce erat ac vivifica morte fungebatur, Joanni virgini genitricem Dei commendavit atque amborum virginitates copulavit.“ Hilarius in Matth. c. 1. n. 4: „Homines pravissimi (perpetuam Mariae virginitatem negantes) praesumunt opinionis suae auctoritatem, quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariae filii fuissent et non potius Joseph ex priore conjugio suscepti, nunquam in tempore passionis Joanni apostolo transcripta esset in matrem.“ Epiphanius haer. 78. n. 10: „Si Maria liberos habuisset aut superstes vir ejus fuisset, cur illam Joanni, Joannem illi commendaret? Verum cur non Petro potius vel Andreae vel Matthaeo vel Bartholomaeo commendaret? Nimirum Joanni propter virginitatem hoc tribuit: *Ecce*, inquit, *mater tua* . . . Pergit Evangelium: *Et ex illa*, inquit, *die accepit eam discipulus ad sese.* Atqui si et virum haberet et domum et liberos, ad sua potius, quam ad alienum se conferret.“ Idem jam inculcaverat haer. 28. n. 7. et Chrysostomus h. 5. in Matth. n. 3. Praeclare vero de hisce Christi verbis philosophatur Paulinus ad Augusinum (inter hujus ep. 121. al. 58. n. 17.) scribens: „Jam scil. ab humana fragilitate, qua erat natus ex femina, per crucis mortem demigrans in aeternitatem Dei, ut esset in gloria Dei Patris, dele-

proponas, solius tibi Joannis verba non placent. Dicis, transitorie ad crucem Domini

---

gat homini jura pietatis humanae, et ex discipulis suis adolescentiorem eligit, ut convenienter assignet virgini apostolo virginem matrem, duo pariter in eadem sententia docens: formam pietatis relinquens nobis, cum est de matre sollicitus, ut quam relinquebat corpore, non relinqueret cura . . . et illud quod ad fidem omnium pertineret, salutiferum pietatis suae sacramentum arcana divini ratione consilii sub hac voce consignans, ut alii matrem delegaret pro matre habendam et vice sua consolandam atque illi vicissim novum filium vice corporis sui traderet, imo, ut ita dixerim, gigneret, quo ostenderet eam praeter se, qui ex ea virgine natus esset nec habuisse filium nec habere, quia nec Salvator tantopere curam de solatio habuisset ejus, si illi unicus non fuisset.“ Praeclariora forte sunt haec Siricii, ita Bonosum eadem quae Helvidius garrientem (ep. 9. ad Anysium n. 4) refellentis: „Et ubi est illud, quod scriptum est dicente Domino ad matrem de Joanne evangelista: *Mulier, ecce filius tuus*; et rursus ad Joannem de Maria: *Ecce mater tua?* Quid sibi istud vult, quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronunciavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia et obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Joseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine tori jura cognoverit. Neque enim eam suscepturam ex Joseph filios a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc

eam fuisse praesentem; ne consulto praeterisse videaris: et tamen, quae cum illa

---

parum eat, addidit testimonium evangelista dicens quod *suscepit eam discipulus in sua* (Joan. 19, 30). Numquid ergo divortium fecit? Numquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat et fluctuat? Hoc ergo testamentum Filii est de matris integritate, haec Mariae locuples integri pudoris hereditas, hic totius finis consummationis.“ Omnium vero praeclarissime hoc argumentum prosequitur s. Ambrosius (de instit. virg. c. 7. cf. et in Luc. l. 2. n. 4), qui occasione verborum Christi haec habet: „Alii evangelistae scripserunt, quod in passione Domini terra contremuit, sol refugit, persecutoribus venia postulata est: iste dilectus Domini, qui e pectore ejus hauserat secreta sapientiae et piae voluntatis arcana ab aliis dicta praeteriens hoc diligentius prosecutus est, ut maternae virginitatis perseverantiam suo judicio comprobaret, quasi filius de matris pudore sollicitus, ne quis eam tanto convicio temeratae integritatis aspergeret. Dignum quippe erat, ut qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris absolveret. Dicit enim ad matrem: *Mulier, ecce filius tuus. Dicit et ad discipulum: Ecce mater tua.* Ipse est discipulus, cui mater commendatur. Quomodo marito uxorem tolleret, si fuerat Maria mixta conjugio aut usum tori conjugalis agnoverat? Claudite ora, impii: aperite aures, pii: audite quid Christus loquatur. Testatur de cruce Dominus Jesus et paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoram relinquat. Subscribitur Joannes testamento Christi. Legatur matri pudoris defensio, testimonium integritatis: le-

mulieres fuerint, siles. Ignoscerem nescienti, nisi viderem consulto reticentem. Audi itaque Joannes quid dicat: „Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene (19,25).“ Nulli dubium est, duos fuisse apostolos Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum Zebedaei et Jacobum Alphaei. Istum, nescio quem minorem Jacobum, quem Mariae filium, nec tamen matris Domini, Scriptura commemorat, apostolum vis esse, an non? Si apostolus est, Alphaei filius erit: et credet in Jesum, et non erit de illis fratribus, de quibus scriptum est: „Neque enim tunc fratres ejus credebant in eum (Joan. 7, 5).“ Si non est apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus: quo modo est frater Domini putandus? et quo modo tertius ad distinctionem majoris appellabitur minor? cum major et minor non inter tres, sed inter duos soleant praebere distantiam, et frater Domini apostolus sit, Paulo dicente: „Deinde post triennium

---

gatur et discipulo matris custodia pietatis gratia. *Et ex illo succepit eam discipulus in sua* (19, 27). Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relinquebat virum. Sed cum quo virgo habitare debebat, quam cum eo, quem Filii heredem integritatis sciret esse custodem?“

veni Hierusalem videre Petrum, et mansi apud illum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini (Gal. 1, 18)." Et in eadem epistola: „Et cognita gratia, quae data est mihi, Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnae esse (Gal. 2, 9)." Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedaei, lege Actus apostolorum. Jam ab Herode fuerat interemptus (Act. 12). Restat conclusio, ut Maria ista, quae Jacobi minoris scribitur mater, fuerit uxor Alphaei et soror Mariae, matris Domini, quam Mariam Cleophae Joannes evangelista cognominat, sive a patre, sive gentilitate familiae, aut quacunque alia causa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur: Maria Jacobi minoris mater, et hic Maria Cleophae: disce Scripturae consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel socer Moysi et Jethro dicitur. Gedeon, nullis causis immutati nominis ante praemissis, subito Hieroboal legitur. Ozias rex Juda vicissim Azarias vocatur. Mons Thabor Itabyrium dicitur. Rursum Hermon phoenices cognominant Sanior, et amorraeus cognominat eum Sanir. Eadem coeli plaga tribus nominibus appellatur,

Nageb, Themam, Darom. Lege Ezechielem. Petrus et Simon dicitur et Cephas. Judas zelotes, in alio evangelio Thaddaeus dicitur: multaque alia, quae ad exemplum horum pertinent, ipse sibi de omnibus Scripturis lector poterit congregare.

16. Nunc illud est quod conamur ostendere, quemadmodum fratres Domini appellentur filii materterae ejus Mariae, qui antea non credentes, postea crediderunt. Licet fieri potuerit, ut uno statim credente, alii diu increduli fuerint: et hanc fuisse matrem Jacobi et Josetis, id est, Mariam Cleophae, uxorem Alphaei: et hanc dictam Mariam Jacobi minoris. Quae si esset mater Domini, magis eam, ut in omnibus locis, matrem illius appellasset, et non aliorum dicendo matrem, alterius voluisset intelligi. Verum in hac parte contentiosum funem non traho: alia fuerit Maria Cleophae, alia Maria Jacobi et Josetis; dummodo constet, non eandem Mariam Jacobi et Josetis esse, quam matrem Domini. Et unde, ais, fratres Domini dicti sunt, qui non erant fratres? Jam nunc doceberis, quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici, natura, gente, cognatione, affectu. Natura, Esau, Jacob, duodecim patriarchae, Andreas et Petrus, Jacobus et Joannes.

Gente, qua omnes judaei inter se fratres vocantur: ut in Deuteronomio: „Si autem emeris fratrem tuum, qui est hebraeus, vel quae est hebraea, serviet tibi sex annis: et septimo anno dimittes eum liberum abs te (Deut. 15, 12).“ Et in eodem: „Constituendo constitues super te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus, eum, qui ex fratribus tuis sit. Non enim poteris constituere super te hominem alienigenam, quia non est frater tuus (Deut. 17, 15).“ Et rursum: „Ne viso vitulo fratris tui, vel ove ejus errantibus per viam, negligas ea, reversione reduces ea fratri tuo. Quod si non appropinquat tibi frater tuus, neque noveris eum: colliges ea intra domum tuam; et erunt tecum, donec quaerat ea frater tuus, et reddes ei (Deut. 22, 1 s.).“ Et apostolus Paulus: „Optabam, inquit, ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt israelitae (Rom. 9, 3, 4).“ Porro cognatione fratres vocantur, qui sunt de una familia, id est, πατριᾷ: quod latini paternitate interpretantur: cum ex una radice multa generis turba diffunditur, ut in Genesi: „Dixit autem Abraham ad Lot: Non sit rixa inter me, et te: inter pastores meos, et pastores tuos:

quia homines fratres nos sumus:“ Ibique: „Et elegit sibi Lot regionem Jordanis: et elevavit Lot ab oriente: et discesserunt unusquisque a fratre suo (Gen. 13, 8 ss.).“ Et certe Lot non est frater Abrahae, sed filius fratris ejus Aram. Thara quippe genuit Abraham, et Nachor, et Aram: et Aram genuit Lot. Et rursum: „Abraham autem erat annorum septuaginta quinque cum exiret de Charan. Et sumpsit Abraham Saram uxorem suam, et Lot filium fratris sui (Ib. 12, 4).“ Quod si adhuc dubitas, fratrem, fratris filium nuncupari, accipe exemplum: „Cum autem audisset Abraham, quia captivus ductus est Lot frater suus, numeravit vernaculos suos trecentos decem et octo.“ Et cum caedem nocturni impetus descripsisset, adjecit: „Et reduxit omnem equitatum Sodomorum, et Lot fratrem suum revocavit (Ib. 14, 14 s.).“ Sufficiebant haec ad ea, quae diximus, approbanda. Sed ne in aliquo cavilleris, et te quasi lubricus anguis evolvas, testimoniorum stringendus es vinculis; ne querulus sibiles, et dicas te magis argumentationibus tortuosis, quam Scripturarum veritate superatum. Jacob, Isaac filius ac Rebeccae, cum fratris insidias metuens Mesopotamiam perrexisset, accessit et devolvit lapidem ab ore

putei, et adaquavit oves Laban, fratris matris suae: et osculatus est Jacob Rachel: et exclamans voce sua ploravit et indicavit Rachel, quia frater est patris ejus: et quia filius Rebeccae est (Gen. 29). Ecce et hic eadem lege, qua supra, frater sororis filius appellatur. Et iterum: „Dixit autem Laban ad Jacob: Quoniam frater meus es, non servies mihi gratis: dic mihi, quae sit merces tua.“ Expletis itaque viginti annis, cum ignorante socero, uxoribus filiisque comitatus reverteretur ad patriam, consecutus est eum Laban in monte Galaad, et cum idola, quae Rachel occultabat, quaesita non invenisset in sarcinis, respondit Jacob, et dixit ad Laban: „Quae culpa mea est, et quod delictum meum, quod persecutus es me? et quare scrutatus es omnia vasa mea? quid invenisti de omnibus rebus tuis? Pone hic in conspectu fratrum tuorum et fratrum meorum: et redarguent inter nos duos (Ib. 31, 36 s.).“ Responde, qui sint isti fratres Jacob et Laban, qui tunc fuerant in praesenti. Esau certe frater Jacob absens erat, et Laban filius Bathuel fratres, excepta sorore Rebecca, non habuit.

17. Innumerabilia sunt istiusmodi libris inserta divinis. Sed ne longum faciam, ad

extremam divisionis partem revertar: id est, et affectu fratres dici; qui in duo scinditur, in spiritale et in commune. In spiritale, quia omnes christiani fratres vocamur, ut ibi: „Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum (Psal. 132, 1).“ Et in alio psalmo Salvator: „Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis (Psal. 21, 23).“ Et alibi: „Vade, dic fratribus meis (Joan. 20, 17).“ Porro in commune, quia omnes (homines) ex uno patre nati, pari inter nos germanitate conjungimur. „Dicite, ait, his qui oderunt vos, fratres nostri estis (Is. c. 66. sec. LXX.).“ Et Apostolus ad Corinthios: „Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere (1. Cor. 5, 11).“ Et cetera his similia. Interrogo nunc, juxta quem modum fratres Domini in Evangelio intelligas appellari. Juxta naturam? Sed Scriptura non dicit, nec Mariae eos vocans filios, nec Joseph. Juxta gentem? Sed absurdum est, ut pauci ex judaeis vocati sint fratres: cum omnes, qui ibi erant hac lege judaei, fratres potuerint appellari. Juxta affectum humani juris ac spiritus? Verum si sic, qui magis fratres, quam apostoli, quos docebat intrin-

secus, quos matres vocabat et fratres? Aut si omnes, quia homines, fratres, stultum fuit nunciari, quasi proprium: „Ecce fratres tui quaerentes te (Matth. 12, 47):“ cum generaliter omnes homines hoc jure sint fratres. Restat igitur, ut juxta superiorem expositionem, fratres eos intelligas appellatos cognatione, non affectu, non gentis privilegio, non natura: quo modo Lot Abrahae, quo modo Jacob Laban est appellatus frater: quo modo et filiae Salphaad accipiunt clerum inter fratres suos: quo modo et Abraham ipse Saram sororem suam habuit uxorem. Etenim ait: „Vere soror mea est de patre, sed non de matre (Gen. 20, 11),“ id est, fratris est filia, non sororis. Alioqui quale est, ut Abraham, vir justus, patris sui filiam conjugem sumpserit: cum in primis hominibus propter aurium sanctitatem id ipsum Scriptura non nominet, malens intelligi, quam proferri; et Deus lege postea sanciat, ac minetur: „Qui acceperit sororem suam de patre suo, vel de matre sua, et viderit turpitudinem ejus, et ipsa viderit turpitudinem illius; opprobrium est: et exterminabuntur coram filiis generis sui. Turpitudinem sororis suae detexit, peccatum suum recipiet (Lev. 18, 9).“

18. Imperitissime hominum, ista non legeras: et toto Scripturarum pelago derelicto, ad injuriam virginis tuam rabiem contulisti, in exemplum ejus, quem fabulae ferunt, cum vulgo esset ignotus, et nihil boni posset facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianae incendisse templum: et nullo prodente sacrilegium, fertur ipse in medium processisse, clamitans sese incendium subjecisse: sciscitantibus Ephesi principibus, quam ob causam hoc facere voluisset, respondisse: ut quia bene non poteram, male omnibus innotescerem. Et hoc quidem graeca narrat historia. Tu vero templum dominici corporis succendisti: tu contaminasti sanctuarium Spiritus sancti, ex quo vis quadrigam fratrum et sororum processisse congeriem. Denique cum judaeis voce sociata dicis: „Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria; et fratres ejus Jacobus, et Joses, et Simon, et Judas, et sorores ejus omnes apud nos sunt (Matth. 13, 55)?“ Omnes, nisi de turba, non dicitur. Quis, te oro, ante hanc blasphemiam noverat[1])? quis dupondii supputabat? Conse-

[1]) Notandus est fervor et studium, quo patres Mariae perpetuam tuentur virginitatem, et indignatio,

cutus es quod volebas, nobilis es factus in scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum

---

qua in illos, qui eam negabant vel in dubium vocabant, feruntur. Aliquoties jam id in hoc Hieronymi libro (cf. n. 4, 13. Cf. etiam in Job. 27, 3) advertere licebat. Gennadio est sententia perpetuam Mariae virginitatem negans *insania* et *blasphemia* (de dogm. eccles c. 69); Origeni (Hom. 7. in Luc.) *insania*; Ambrosio (de instit. virg. c. 5. n. 35) *sacrilegium*; Philostorgio (l. 6. s. 2.) *impietas et atheis congruens doctrina.* Secundum Siricium P. (ep. 9. n. 3) „qui hoc adstruit, nil aliud quam perfidiam judaeorum adstruit;“ secundum Augustinum (de haer. h. 56.) „Antidicomaritae appellati sunt haeretici, qui Mariae virginitati usque adeo contradicunt, ut eam affirment post Christum natum viro suo fuisse commixtam;“ hos Hilarius (in Matth. c. 1. n. 3) vocat „irreligiosos et a spiritali doctrina alienos,“ et auctor hom. in Christi generationem (inter dubias Bas. n. 5.) testatur: „Christi amantes audire non sustinent, quod Deipara aliquando desierit virgo.“ In primis vero invehitur in hunc errorem Epiphanius (haer. 78.), quem n. 1. *temeritatem* et quidem (n. 23) *omnem improbitatem impietatemque superantem* appellat; n. vero 11. suam indignationem ita declarat: „Quis est autem, qui furorem sibi et insaniam asciscens, tantam b. Virgini contumeliam velit imponere et os suum adversus illam attollere, laxare linguam, ad pestiferam illam pronunciandam sententiam labra diducere, pro laudibus ac praeconiis probra concontumeliasque comminisci, sacrosanctae insultare Virgini, vas illud denique omni honore dignum nullo honore prorsus afficere?“ Hinc liquet quam altas

in eadem tecum urbe consistam, albus, ut ajunt, aterve sis, nescio. Praetermitto vitia sermonis, quibus omnis liber tuus scatet. Taceo ridiculum exordium: O tempora, o mores. Non quaero eloquentiam; quam ipse non habens, in fratre Craterio requisisti, non, inquam, flagito linguae nitorem: animae quaero puritatem. Apud christianos enim soloecismus est magnus et vitium, turpe quid vel narrare, vel facere. Ad calcem venio, et te cornuta interrogatione concludo: sicque tecum agam, quasi superius nihil egerim, eodem modo dictos esse fratres Domini, quo Joseph dictus est pater; „Ego, inquit, et pater tuus, dolentes quaerebamus te (Luc. 1, 48).“ Mater haec loquitur, non judaei. Et ipse

---

primis Ecclesiae seculis radices egerit fides de perpetua Dei genitricis virginitate, quod et alia ratione accerrimus illius assertor, Epiphanius, confirmat l. c. n. 6: „Undenam vero haec improbitas emersit? Unde tanta prorupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testificatur? Non tibi, homo pervicacissime, istud ipsum persuadet? *Quis ullo tempore unquam exstitit, qui sanctae Mariae nomen apellare auderet, et non rogatus statim Virginis vocabulum adjiceret?* . . . Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. Cur igitur vos natura ipsa non docet? O inauditam insaniam! O praeposteram novitatem!“

evangelista referens: „Et erant pater et mater illius admirantes super his, quae dicebantur de eo (Ib. 2, 33)“, et his similia, quae jam enumeravimus, in quibus parentes vocantur. Ac, ne fort ede exemplariorum varietate causeris, quia tibi stultissime persuasisti, graecos codices esse falsatos: ad Joannis evangelium venio, in quo plenissime scribitur: „Invenit Philippus Nathanael, et ait illi: Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth (Joan. 1, 45).“ Certe hoc in tuo codice continetur. Responde mihi, quo modo Jesus sit filius Joseph, quem constat de Spiritu sancto esse procreatum? Vere Joseph pater fuit? Quamvis sis hebes, dicere non audebis. An putabatur? Eodem modo aestimentur et fratres, quo aestimatus est et pater.

19. Sed quoniam jam e cautibus et confragosis locis enavigauit oratio, pandenda sunt vela, et in epilogos illius irruendum; in quibus sciolus sibi visus, Tertullianum in testimonium[1]) vocat, et Victorini, petabo-niensis episcopi, verba proponit. Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam

---

[1]) Forte ex l. de velandis virg. c. 6. aut ex illo de carne Christi c. 23.

Ecclesiae hominem non fuisse. De Victorino vero id assero, quod et de evangelistis, fratres eum dixisse Domini, non filios Mariae; fratres autem eo sensu, quem superius exposuimus, propinquitate, non natura. Verum nugas terimus, et fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Justinum martyrem, multosque alios apostolicos et eloquentes viros, qui adversus Hebionem, et Theodotum byzantium, et Valentinum, haec eadem sentientes, plena sapientiae volumina conscripserunt? quae si legisses aliquando, plus saperes. Sed melius puto, breviter ad singula respondere, quam diutius immorando, volumen extendere.

20. In illud nunc impetum facio, in quo tu, virginitatem et nuptias comparando, disertus esse voluisti. Risimus in te proverbium: „Camelum vidimus saltitantem [1]“. Dicis: „Numquid meliores sunt virgines, Abraham, Isaac et Jacob, qui habuere conjugia? Numquid non quotidie Dei manibus parvuli finguntur in ventribus, ut merito

---

[1]) De iis est proverbium, qui aliud inepte faciunt vel indecore.

erubescere debeamus, Mariam nupsisse post partum? Quod si hoc illis turpe videtur, superest, ut non credant etiam Deum per genitalia virginis natum, turpius est enim juxta eos, Deum per virginis pudenda genitum, quam virginem suo viro nupsisse post partum". Junge, si libet, et alias naturae contumelias, novem mensibus uterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans, tegimne membranarum solito convolutus. Ingerantur dura praesepia, vagitus parvuli, octavae diei circumcisio, tempus purgationis, ut probetur immundus [1]). Non erubescimus, non silemus.

---

[1]) Non haec congerit Hieronymus, quasi crediderit Mariam peperisse aliarum feminarum more, sed loquitur ad hominem ostendens, quod etiamsi fuisset Christus consuetis partus legibus subjectus, nulla propterea in ipsum redundaret contumelia. „Tali namque sensu, inquit haec explicans s. Hildephonsus toletanus episcopus s. de parturitione et purificatione s. Mariae, eidem respondens haeretico, videtur b. Virgini non infamiam ullius colluvionis aut poenam peccati intulisse, sed dignationem divinam et exinanitionem immensam et in forma servi reverenter satis commendasse. Non ut Virginem vexatam a Domino et exhonoratam ostenderet, sed ut clementiam pii conditoris etiam hujusmodi haereticis demonstraret. Idcirco non cessit istis cum Helvidio errantibus, sed corripuit, ut discerent non in-

Quanto sunt humiliora, quae pro me passus est, tanto plus illi debeo. Et cum omnia replicaveris, cruce nihil contumeliosius proferes, quam profitemur et credimus, et in qua de hostibus triumphamus.

21. Sed ut haec, quae scripta sunt, non negamus; ita ea, quae non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de virgine credimus, quia legimus; Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus. Nec hoc ideo dicimus, quo nuptias condemnemus: ipsa quippe virginitas fructus est nuptiarum: sed quod nobis de sanctis viris temere aestimare nihil liceat. Possumus enim hac aestimatione possibilitatis contendere, plures quoque uxores habuisse Joseph, quia plures habuerit Abraham, plures habuerit Jacob; et de his esse uxoribus fratres Domini; quod plerique non tam pia, quam audaci temeritate confingunt. Tu dicis Ma-

---

famare Virginem, et Domini non derogare in forma servi humilitatem. Non enim pudicitiam ejus in aliquo laesam docet, qui tantum in ejus laude triumphat: neque ad horam cessit adversariis, qui pro ea tantum et tam diu dimicavit verbi gladio: cui Deus contra hostes ejus tantam resistendi contulit gratiam, revincendi praebuit virtutem, ut nemo contra eum audeat insurgere."

riam virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur; Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus: relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.

22. Et quia de comparatione virginitatis et nuptiarum sum aliqua dicturus, obsecro lecturos, ne me putent nuptiis detraxisse in virginum laude, et aliquam fecisse distantiam inter sanctos veteris testamenti et novi, id est, inter eos, qui habuere conjugia, et hos, qui a complexu mulierum penitus recesserunt; verum pro conditione temporum alii eos tunc subjacuisse sententiae, et alii nos, in quos fines seculorum decurrerunt. Quamdiu lex illa permansit: „Crescite, et multiplicamini, et replete terram (Gen. 1, 28):“ et „Maledicta sterilis, quae non parit semen in Israel (Is. 66 sec. LXX.),“ nubebant omnes et nubebantur, et derelictis parentibus, fiebant una caro; quando vero vox illa pertonuit: „Tempus brevitatum est: reliquum est, ut qui habent uxores, sic sint, quasi non

habeant (I. Cor. 7, 29), adhaerentes Domino, unus cum eo efficimur spiritus (I. Cor. 6, 17)." Et quare? „Quia qui sine uxore est, cogitat ea, quae Domini sunt, quo modo placeat Deo: qui aute mcum uxore est, sollicitus est quae sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori. Et divisa est mulier et virgo [1]). Quae non est nupta, cogitat quae sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu: nam quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro (I. Cor. 7, 32 ss.)." Quid oblatras? quid repugnas? Vas electionis haec loquitur, divisa est, dicens, mulier et virgo. Vide, quantae felicitatis sit, quae et nomen sexus amiserit. Virgo jam mulier non vocatur. Quae non est nupta, cogitat quae sunt

---

[1]) Recitatur hic Pauli locus ex veteri latino interprete (ita et ep. 22. ad Eustoch. in nostra ed. 4. n. 21.), quemadmodum et Tertullianus in l. de velandis virg. Sed in l. 1. c. Jovin. n. 13. veterem lectionem respuit. „Et illud, inquit, breviter admoneo in latinis codicibus h. l. ita legi: *Divisa est virgo et mulier:* quod quamquam habeat suum sensum et a me quoque pro qualitate loci sic eddisertum sit, tamen non est apostolicae veritatis, siquidem apostolus ita scripsit: *Sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est*; et hac sententia definita transgreditur ad virgines et continentes, et ait: *Mulier innupta et virgo cogitat quae sunt Domini.*" Haec est lectio vulgatae.

Domini, ut sit sancta corpore et spiritu. Virginis definitio, sanctam esse corpore et spiritu, quia nihil prosit carnem habere virginem, si mente quis nupserit. Quae vero nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. Idem tu putas esse, diebus et noctibus vacare orationi, vacare jejuniis, et ad adventum mariti expolire faciem, gressum frangere, simulare blanditias? Illa hoc agit, ut turpior appareat, et naturae bonum infuscet injuria: haec ad speculum pingitur, et in contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quam nata est. Inde infantes garriunt: familia perstrepit: liberi ab osculis et ab ore dependent: computantur sumptus: impendia praeparantur, hinc cocorum accincta manus carnes terit: hinc textricum turba commurmurat: nunciatur interim vir venisse cum sociis. Illa ad hirundinis modum lustrat universa penetralia, si torus rigeat, si pavimenta verrerint, si ornata sint pocula, si prandium praeparatum. Responde, quaeso, inter ista ubi sit Dei cogitatio? Et hae felices domus. Ceterum, ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Parasitus in contumeliis gloriatur: ingrediuntur expolitae libidinum victimae, et tenuitate vestium nudae impudicis ocu-

lis ingeruntur, his infelix uxor aut laetatur, et perit: aut offenditur, et maritus in jurgia concitatur; hinc discordia, seminarium repudii. Aut si aliqua invenitur domus, in qua ista non fiant, quae rara avis est, tamen ipsa dispensatio domus, liberorum educatio, necessitates mariti, correctio servulorum, quam a Dei cogitatione non avocent? Defecerunt, inquit Scriptura, Sarae fieri muliebria (Gen. 18, 11):" post quod dicitur ad Abraham: „Omnia quaecunque dicit tibi Sara, audi vocem ejus (Gen. 21, 12)." Quae non est in partus anxietatibus et dolore, quae deficientibus menstrui cruoris officiis, mulier esse desiit, a Dei maledictione fit libera: nec est ad virum conversio ejus, sed e contrario vir subjicitur ei, et Domini ei voce praecipitur: „Omnia quaecunque tibi dicit Sara, audi vocem ejus", et sic incipiunt vacare orationi: quia quamdiu in conjugio debitum solvitur, orandi praeteritur instantia.

23. Non negamus viduas, non negamus maritatas, sanctas mulieres inveniri, sed quae uxores esse desierint, quae in ipsa necessitate conjugii, virginum imitentur castitatem. Hoc est, quod Apostolus breviter, Christo in se loquente, testatus est: „Innupta cogitat quae Dei sunt, quomodo placeat Deo: nupta

vero cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro (1.Cor. 7,34):" nobis super hoc campum intelligentiae derelinquens. Neque tamen alicui necessitatem imponit, aut laqueum, sed id quod honestum est, suadet, volens omnes esse sicut seipsum. Et quamquam de virginitate praeceptum Domini non habeat, quia ultra homines est; et quodam modo impudentis erat, adversum naturam cogere, alioque modo dicere, volo vos esse, quod angeli sunt; unde et virgo majoris est mercedis, dum id contemnit, quod si fecerit, non delinquit: nihilominus in cohaerentibus infert: „Consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quia bonum est homini sic esse (Ib. 7, 25)." Quae est ista necessitas? „Vae praegnantibus, et nutrientibus in illa die (Matth. 24, 19)". Ideo silva succrescit, ut postea recidatur, ideo ager seritur, ut metatur. Jam plenus est orbis, terra nos non capit. Quotidie bella nos secant, morbi subtrahunt, naufragia absorbent et nihilominus de terminis litigamus? De hoc numero sunt illi, qui agnum sequuntur, qui vestimenta sua non coinquinaverunt: virgines enim permanserunt (Apoc. 14, 4). Ob-

serva quid significet *inquinaverunt* ego non audeo exponere, ne Helvidius calumnietur. Quod autem ais, quasdam esse virgines tabernarias: ego tibi plus dico, esse in his et adulteras, et quo magis mireris, clericos esse caupones, et monachos impudicos. Sed quis non statim intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum monachum, nec clericum posse esse cauponem? Numquid virginitatis est culpa, si simulator virginitatis in crimine est? Ego certe, ut aliis personis praetermissis, ad virginem veniam, quae institorias exercet artes, nescio an corpore, quod scio, spiritu virgo non permanet.

24. Rhetoricati sumus, et in morem declamatorum, paululum lusimus. Tu nos, Helvidi, coegisti: qui jam Evangelio coruscante, ejusdem vis esse gloriae virgines et maritatas, et quia arbitror te veritate superatum, ad detractionem vitae meae et ad maledicta converti: (solent enim hoc et mulierculae facere, quae victoribus dominis male optant in angulis), illud dico praeveniens, gloriae mihi fore tua convicia; cum eodem, quo Mariae detraxisti, ore me laceres, et caninam facundiam servus Domini pariter experiatur et mater.

Index rerum

quae tomis 9—12. continentur.

D.

E.

I.

N.

O.

P.

Q.

R.

Praeter quaedam levioris momenti errata haec notentur:

T. X. p. 5. linea 9. magna *lege* magnae.
lin. 16. Laetantius *lege* Lactantius.
30. lin. 14. in annot. poteterant *lege* poterant.
83. lin. 18. in annot. post verba a divina sapientia *adde* praeparatum.
101. lin. 7. in annot. occise *lege* occisi.
122. lin. 6. et p. 123. p. 7. carthaginis *lege* carthaginensis.
144. lin. 22. agonosticorum *lege* agonisticornm.
224 lin. 24. ormam *lege* formam.
262. lin. 2 damnatum *lege* damnatus.

T. XI. p. 14. lin. 2. libidio *lege* libido.
33. lin. 15. in annot. exciderunt quaedam verba proinde legendum: praedictis vocabulis praestantiorem et accuratiorem esse fidem a patribus Nicaeae promulgatam etc.
42. lin. 1. in annot. collocasse *lege* operam collocasse.
59. lin. 5. in annot. palliolum *lege* pallioli.
64. lin. 1. arden- *lege* ardens.
lin. 2. Scris. *lege* Scri-
76. lin. 7. Sponsi *lege* Sponsa.
103. lin. 5. in annot. rudentes *lege* imprudentes.
106. lin. 12. in annnot. ut urbibus *lege* in urbibus.

T. XI. p. 116. lin. 2. in annot. percusso *lege* percussa.
198. lin. 3. in annot. m liori *lege* meliori.
216. lin. 26. in annot. taberent *lege* haberent.
222. lin. 6. gratis *lege* gratias.
222. lin. 20. abumbrata *lege* adumbrata.
231. lin. 1. in annot. Id *lege* Is.
250. lin. 22. in annot. plura *lege* plus.
275. lin. 4. in annot. volentibus *lege* nolentibus.

T. XII. p. 24. lin. 9. in annot. Bertage *lege* Berlage.

A. M. D. G.
